

11.327

THE
FINDAM
JUR NAT
& GENI



11,327

FUNDAMENTA
JURIS NATURÆ
ET
GENTIUM
EX SENSU COMMUNI
DEDUCTA,
IN QUIBUS
UBIQUE SECERNUNTUR PRINCIPIA
HONESTI, JUSTI

AC

DECORI,

CUM ADJUNCTA.

EMENDATIONE AD ISTA FUNDAMENTA
INSTITUTIONUM JURISPRUDENTIÆ
DIVINÆ.

EDITIO QUARTA

PRÆCEDENTIBUS AUCTIOR ET CORRECTIONI

IN USUM

AUDITORII THOMASIANI.

HALÆ & LIPSIÆ,

Typis & sumtibus Viduæ CHRISTOPHORI SALFELDII Regim.
Elect. Brandenb. Typographi. ANNO MDCCXVII.



FUNDAMENTA
ET
EXSENZU COMMUNI
DEDICATA

Quæ in hac editione de novo addita sunt, indicantur
ubique signis * vel †.

AG

CUM ADDITIONE

EMENDATIONE AD TSTA FUNDAMENTA
INSTYTUTIONUM AURIS FUNDAMENTA
DINER

TRADITIONES Auctoritatis CORRECTION
MUS

ALIAS VERSIO

COPIA LIBRARIÆ VITÆ CHIRURGICÆ ET MEDICO-PHARMACEUTICÆ
AD C. G. Z. 1750



CAPUT PROOEMIALE *) RATIO INSTITUTI.



*) *P*ronotandum. Postquam Anno 1702. in collegio privato de prudentia legislatoria, observata legis homonymia hactenus superficiarie a Doctoribus tractata, vel plane neglecta, simul palparem, legem divinam positivam universalem a multis ante me in scenam productam, a nemine vero distincte propositam, post meas tamen curas a multis, (me plerumque exscribentibus,) tanquam Deum ex machina usurpatam, figmentum esse, nec ea amplius opus fore genuinis fundamentis juris naturae perspicue positis; destruxi iterum bona fide figmentum illud primus, & eodem anno observationem illam de natura legis inferui Tomo 6. observationum Halensem. Cum vero hoc pacto maxime opus esset, ut Fundamenta juris naturae aliter ordinarentur, quam hactenus feceram, subsequenti Anno 1703. Fundamenta, que hic legis, juris Naturae & Gentium, descripta saltem & nondum impressa, explicabam Auditoribus privatis una cum hoc capite proœmiali, sed illud finiebatur tum temporis §. 25. Qui sequuntur paragraphi 26. usque ad 31. adjecta sunt in prima editione impressa Anno 1705.

Defendi in institutionibus Jurisprudentia divinæ fundamenta illustris Pufendorffii, quibus ius Naturæ & Gentium superstruxerat. Cujus facti nec pudet nec piget. Ut enim Grotius hanc utilissimam disciplinam pulvere scholastico commaculatam & corruptam, ac tantum non exanimatam primus iterum fuscitavit ac purgare incepit; ita res ipsa loquitur, quod Pufendorffius eam egregie & decore ornaverit, & contra adversarios varios masculine defendet. Summam argumentorum ab utraque parte prolatorum in isto tractatu libro primo exhibui.

§. II. Ut vero non potuit Grotius omnia in hac disciplina corrupta ista restituere, ut non relinquatur locus Pufendorffio, multa accuratius tradendi; ita corruptio tanta fuit, ut & post diligentiam Pufendorffi multa aliis relicta maneant, in quibus ingenii vires exerceant. Quare & ego tandem post multorum annorum meditationem tentabo, an utile~~quid~~, ac proficuum studio~~ex~~ juventuti præstare possim.

§. III. Laborant *) & Grotius & Pufendorffius pluralitate testimoniorum & allegationis aliorum scriptorum. Grotius, †) quod putavit, talibus locis communibus probari ipsum jus naturæ, Pufendorffius necessitate politica adactus, cum invidi ejus ei objicerent, quod Græcos & Latinos autores classicos non legisset. **) Uterque insuper excusandus, quod uterque scripsiterit adhuc iis temporibus, ubi omnes eruditæ immersi adhuc erant autoritati veterum.

*) Prima ratio instituti. †) vid. Grotius in proleg. §. 40. seq.

**) Vid. Haberkornii Jurisprud. Justin. sed respandescens c. I. Epist. 5. p. m. 37. seq.

§. IV. Sed nocet iste scribendi modus discentibns magis, quam ut proficiat. Distrahitur intellectus magis, quam ut adjuvetur attestatis ejusmodi, præprimis rarissime id omnino probantibus, cuius gratia adducuntur, propter infinitam veterum, etiam in moralibus dissensionem. Præterea hodie plerique jam apti

apti sunt & cupidi, magis id examinandi, quid dicatur, quam quis dicat. Et magis eam ob causam ad palatum nostrorum sunt Hobbesii scripta & ipsius Pufendorffii de officio hominis & civis, quam ista ornamenta locorum communium. Præsens seculum non regitur amplius gustu Boëcleriano, *) quia videlicet non amplius videt oculis alienis.

*) *Cujus est dicta Epistola 5. apud Haberkornium.*

§. V. Laboravi †) vero hactenus ipsem adhuc illo præjudicio, ut hominis naturam una cum Grotio & Pufendorffio, etsi non ita stulte, ut Scholastici fecerunt, quæsiverim tamen in aliorum opinionibus, magis videlicet sollicitus, quid alii dixerint pertinere ad humanam naturam, quam ut ipse eam, quam singuli intra nos ipsos habemus, debita cura inspexerim.

†) *Secunda ratio instituti.*

§. VI. Hinc etsi multa jam a Grotio & Pufendorffio etiam emendata, confirmaverim, retentus tamen adhuc fuit & per totum librum disseminatus fundamentalis iste & ad omnes disciplinas pertinens error, de habitudine intellectus & voluntatis ad se invicem, id est, de imperio intellectus in voluntatem, & inde necessario profluente opinione falsa, homines æque esse ejusdem naturæ, uti alias species infimas corporum naturalium. Hoc vero errore alibi *) jam rejecto, facile patet, quod aliter exstrendum sit totum ædificium morale.

*) *Von Wesen des Geistes cap. 7. th. 161. seq. & 179. seq. Adde hic lib. 1. cap. 1. n. 47. seq. n. 79. seq. n. 117. seq.*

§. VII. Deinde †) ostendit equidem Pufendorfius, *) moralia æque cadere sub demonstrationem ac physica aut mathematica, sed & ipse tamen in multis adhuc nimis opponit moralia naturalibus, & in definiendis entibus moralibus nimium impositioni tribuit, ††) cum res ipsa ostendat, intimam esse moralium & naturalium connexionem, & imo moralia omnia demonstrari posse ex naturalibus. **)

†) *Tertia ratio instituti.*

Pufend. l. 1. c. 1. §. 2. 3. 4.

*) *Pufend. l. 1. c. 2.*

**) *Dissent. Pufend. d. c. 2. §. 4.*

A 3

negans

negans demonstrationem rerum politicarum. Sed facile tamen conciliatio fieri potest. Conf. hic lib. i. c. i. n. 58. seq.

§. VIII. Præterea +) legis vox cum maxime ambigua sit, & varia in disciplina morali denotet, debemus utique ante omnia varios istos legis significatus proba fecernere. Sed hoc tum omisi, *) cum & Grotius & Pufendorffius idem neglexerint.

+) *Quarta ratio instituti.* *) *Jam autem id factum Tom. 6. observat. Halens. observ. 27. Conf. hic lib. i. cap. 5. §. 2.*

§. IX. Iste +) vero neglectus alium errorem peperit, etiam Grotio & Pufendorffio mecum communem, quod putaverim, legem divinam in genere acceptam & legem humanam esse species univocas ejusdem generis, cum tamen jam alibi *) ostenderim, legem divinam, quatenus de jure Naturæ & Gentium usurpatum, esse speciem legis laxius acceptæ, soli vero legi positivæ legis strictæ & proprie dictæ competere definitiōnem. ++)

+) *Instituti ratio quinta.* *) *d. observ. 27. §. 28. seq.* ++)
Ibid. §. 62. Conf. hic cap. 5. lib. i. n. 34. seq.

§. X. Cum *) vero legis potissima virtus sit pœna +), error præcedens peperit alium, quod in doctrina de pœnis pœnæ divinæ a pœnis humanis non fuerint secretæ, sed pœnæ divinæ communiter ita fuerint consideratae, quasi nullam haberent naturalem connexionem cum actibus vitiosis. **)

*) *Sexta ratio instituti.* +) *d. obs. 27. §. 23.* **) *Ibid. §. 36. 40. Conf. hic lib. i. c. 5. n. 38. 39. & cap. 4. n. 66. 68.*

§. XI. Eadem +) ex causa etiam factum fuit, ut obligatio interna, quæ est nobilissima obligationis species, non fuerit distincta ab obligatione externa, sed sola hæc posterior *) fere pro obligatione ventilata. ++)

+) *Ratio septima instituti.* *) *d. obs. 27. §. 2. Adde hic cap. 4. lib. i. n. 61. seq.* ++) *Quæ hic docentur §. 8. 9. 10. 11. oppugnare voluit Gryphirwaldæ mense Decembr. 1704. sub praesidio Professoris Palthenii quidam M. Fridericus Genzke, in disputatione*

tione de quæstione, an leges naturæ sint proprie & stricte dicta leges, ex indignatione (ut patet ex §.. i.) quasi meam cum summa ratione in Institutionibus Jurisprudentiæ divinæ adstriccam Juris Naturæ doctrinam, nulla idonea causa destruere, & quadrata rotundis mutare cœperim. Sed uti tota disputatio multis repleta est fallacis, ita credo, Autorem, si presentia fundamenta isto tempore jam fuissent edita & ab ipso lecta, istam dissertationem non fuisse scripturum, vel certe cogniturum, quod non tam stultus sim, ut ex novandi libidine proprium ædificium destruam.

§. XII. Porro *) cum sine hac obligationis utriusque exacta differentia non possit accurate concipi differentia justi a decoro, +) vel etiam ab honesto, quæ differentia tamen ad primaria capita disciplinæ moralis pertinet, & Doctores Scholastici fere unanimiter justum & honestum confuderint, de decoro vero plane non cogitaverint; Idem error & a me fuit commissus, præprimis cum & Pufendorffius justum & honestum, seu jus naturæ & doctrinam ethicam miscuerit, & ubi de pudore & decoro tractat, **) insufficientia principia Lamberti Velthuysii sit secutus, ++) vel certe non multum solidiora attulerit.

*) Octava ratio instituti. +) De hac differentia vide d. obs. 27. §. 57. & 58. & hic lib. 1. c. 4. n. 89. seq. & cap. 5. n. 24. seq.
 **) Pufend. d. l. c. 2. §. 7. & lib. 6. c. 1. §. 29. ++) De insufficientia horum principiorum dictum in dissertatione de fundamentis causarum matrim. aliter jaciendis §. 87. seq.

§. XIII. Notavi *) equidem in institutionibus Jurisprudentiæ divinæ +) insufficientiam communis distinctionis legis divinæ in moralem, ceremonialem & forensem, non tamen evitavi omnes errores ex confusa explicatione illius propullulantes. Cum Doctores scholastici ad interesse cleri papalis stabiliendum multa retulerint ad leges morales, quæ tantum populum Ju-daicum per modum legum obligarunt, et si intuitu aliarum gentium nonnulla ex illis ad regulas honesti vel decori referri potuerint. **)

*) Instituti ratio nona. +) lib. 1. c. 2. §. 3. maxime vero in disp.

CAPUT PROOEMIALE

disp. Lips. de crimine bigamiae §. 8. & 20. & latius in MSC. de Prudent. legislat. c. 7. n. 7. seq. **) *Conf. d. observ. 27. §. 59.*
& hic notata ad lib. 3. cap. 2. & 3. Instit. Jurispr. divinæ.

§. XIV. Cum igitur rationes illius prætensis moralitatis & universalis obligationis, quæ communiter dari solent, non strin-gant, ac novioribus potissimum temporibus in controversiis matrimonialibus earum insufficientia apparuerit evidenter; effinxerunt defensores antiquarum opinionum scholasticarum ad eas sustinendas novam legis divinæ speciem inter Jus naturæ & legem particularem Mosaicam medium, quam commodissime vocavi jus divinum †) positivum universale; Sed nemo tamen comprehensus est, qui hactenus legis divinæ naturam & essentiam exposuerit.

†) Meretur hoc jus universale ob varias ad rem literariam pertinentes easque valde notabiles circumstantias, ut ejus historia pauculo distinctius proponatur. *Sciagraphiam ejus ex parte jam edit honoratissimus Collega Ludovici. Inquirendum ibi foret, ante Hugonem Grotium quidam ex Scholasticis hanc legem in scenam produxerit, & qua occasione? Quid Grotium moverit, ut eam hactenus parum cognitam in subdium vocaret? Quomodo haec lex divina positiva universalis differat a Seldeni jure nature secundum disciplinam Hebreorum? De Commentatorum Grotianorum sententiis variis circa hanc legem. Qua occasione quidam ex Theologis Lutheranis post Grotium, ut Dannhauerus, Osiander, Scherzerus &c. ad hanc legem provocare coacti fuerint, quamvis sub nomine legis moralis positivæ; De Kulpis promissione quod doctrinam de lege positiva universalis in ordinem redigere voluerit; (Conf. dissert. proœm. ad Instit. Jurispr. div. §. 20.) De regulis secernendi legem hanc a lege naturæ in Institutionibus juris divini propositis; De Brückneri objectionibus contra legem positivam universalem, quæ in ejus decisionibus matrimonialibus reperiuntur; De Dn. Buddei elementis philosophiae practice, in quibus etiam doctrinam de lege positiva universalis defendit: De causis cur sententiam meam de lege positiva universalis mutaverim & rationibus, quibus eandem iterum*

rum destruxerim : De Immanuelis Weberi disputatione de legibus divine positionis universalibus, in qua novam meam doctrinam pro viribus impugnare voluit : De Hochstetteri collegio Pufendorffiano, qui etiam priorem meam sententiam de lege divina positiva universali, rejecta posteriore, retinere maluit : De Dn. Buddei Institutionibus Theol. moralis, in quibus etiam priorem sententiam mutavit, & legem divinam positivam universaliter iterum deseruit, sed ex peculiaribus tamen quibusdam rationibus &c.

§. XV. Quare amore veritatis & soliditatis tentavi, annon certa criteria hujus legis universalis dari, & ad singula ejus capita applicari possint, id quod partim libro primo, partim libro tertio *) institutionum mearum factum est. Neque mota haec tenus a quoquam contra fuisse nemini, quæ doctrinam meam hac parte destruerent, aut saltem vacillare facerent. Quin potius multos †) vitulo nostro arasse, etiam nobis haud nominatis, deprehendi.

*) Scilicet lib. 1. c. 2. §. 122. seq. & c. 4. §. 79. †) Illustrari possunt hic dicta per ea, quæ habet Dn. Buddeus Part. 2. Inst. Theol. mor. cap. 1. §. 10. in nota subj. p. 504. Nemo, inquit, in naturam atque indolem legum istarum positivarum universalium paulo accuratius inquisivit, donec -- Christianus Thomasius ingenii vires in id intenderet, remque omnem luculenter exponeret, -- qui tamen ut totum suum de jurisprudentia divina sistema mutavit, ita etiam sententiam de legibus divinis positivis universalibus non mutare non potuit. --- Placuit etiam hæc de legibus positivis universalibus sententia -- Hochstettero, -- quam & meam feci in Elementis Philos. Pract. part. 2. c. 2. & 13.

§. XVI. Interim †) cum genuina magis meditatio legis divinæ in genere, etiam ad figmentum legis hujus universalis cognoscendum me ita manu duxerit, ut qui primus fui, qui idem stabilivi, etiam primus fuerim, qui jam alibi *) eam legem iterum destruxerim ; hæc quoque ratio

postulavit emendationem institutionum mearum , quia ibi plurimæ assertiones isti falso fundamento †) fuere superstructæ.

†) *Decima ratio instituti.* *) *Dicit. observ. 27. S. 23. seq. Ad rationem potissimum dissentientium: quod dicatur in Levitico, in his OMNIBUS se contaminasse gentes &c, etiam responderi potest, verba ista non debere referri ad omnia præcedentia, sed ad ea, quæ dicuntur immediate in vers. 20. 21. 22. 23. Grot. II. V. 3. n. 14.* ††) *Eodem anno, quo fundamenta hæc primum edebam, Weberus Gieſſe in disp. de legibus divinae positionis universalibus, operum dabat, ut sententiam meam in observationibus selectis generaliter indicatam, antequam fundamenta hæc videret, defrueret, & veterem meam hypothesin, (ignarus videlicet, quomodo, eare remota, lucunas istas, quas Doctores habentus lege positiva universaliter explere volebant, exploreret) quam habentus pro more suo, aliis exposuerat, stabiliret. Laboriosum esse scriptum non diffiteor, forte & ingeniosum (imprimis ubi Lectori ostendit, Marſfoten ex Græco derivari, & ubi eleganter dicit, sibi magis placere Thomæ sum prioristicum, quam posterioristicum, nec tantum rationes in observatione 27. Hallensi allatas esse, quin in hujus gratiam illum deserat) interim nescio qui factum fuerit, ut Thomæ utrique Weberus tam prioristicus quam posterioristicus (ob justissimas causas ipsi optime cognitas, quas honoris causa tacco,) parum probatus fuerit. Id certum est, dissertationem hanc tantum non totam fallacis varius generis, itisque non subtilibus, esse repletam, & ab homine vel parum judicio easdem in tenebris etiam palpari posse, cum Author non raro stupiditatem affectet, ut, quando v. g. censendo criteria mea Legum divin. positiv. univ. in Instit. jur. div. data, inter alia dicit, meum secundum requisitum (videlicet ut id preceptum toti humano generi latum sit) petere id, quod est in principio, cum hoc potissimum in questione sit, ex legibus in S. Scriptura propositis & ex sola consideratione naturæ humanae non eruendis, esse aliquas, quæ totum humanum genus obligent, & quænam istæ sint, & unde dijudicentur, Ut enim taceam,*

taceam, parum candide & minus prudenter phrasēs toti generi humano latum esse, & totum humanum genus obligare, hic confundi, & unum pro altero substitui, (cum si queratur, unde constet ex scripturis, legem aliquam ex rationis dictamine non deducendam, omnes homines obligare, non perspicuus & palpabilius responderi possit, quam si dicatur, id inde constare, si scriptura doceat eam omnibus hominibus latam esse) quoniam stupiditas est, querere, unde constet scripturam dicere, quod lex aliqua lata sit omnibus hominibus? imprimis cum ipse clare docuerim, id inde constare, quod Scriptura Sacra dicat: eam legem publicatam esse hominibus, totum genus humanum representantibus, aut, quod dicat: gentes omnes, qui contra tales leges fecerint, esse puniendas, eademque in applicatione ad singulas leges, quas ibi positivas universales esse docui, repetierim. Igitur nemo, credo, vitio mihi vertet, quod Webero nihil responderim. Prudentior Webero Dn. Buddeus, et si ei displicerit observatio mea de jure naturali magis ad consilia quam leges stirpe dictas pertinente, et si non placuerit, quod fundamenta mea pristina iterum hic destruxerim (videlicet, ne sagaciores eum pro satellite Thomiano haberent,) cum tamen intuitu nove doctrinæ meæ de lege div. pos. univ. sententiam suam non precipitaverit, sed publicationem fundamentorum horum expectaverit, tandem veritati cedens, novam hanc meam doctrinam secutus est, derringendo etiam doctrinam de ista legis specie in elementis philos. pract. defensam, & noviores meas rationes in d. observ. 27. contra legem illam positivam allatas d. part. 2. Inst. Theol. Moral. c. I. §. ii. p. 504. in summam contrahendo. In eo tamen a me discrepat, quod, cum ego assertiones doctrinales, ob quas antea legem divinam positivam universalem defendendum, hoc loco vel ostenderim falsas esse & ex reliquiis politicis Papatus ortas, vel, si vera fuissent, eas ex differentiis justi, decori, honesti deduxerim, ille contra d. l. alia ratione cuncta, ob qua hactenus leges illae in subsidium vocatae fuerint, planissime explicari posse afferat, qua de re ipsi animitus gratulor. Et ne videar nova hec inventa auditoribus meis invidere, ea hic appono. Quæ

cum ita sint, *inquit*, etiam hasce difficultates expediendi aggressus sum viam. Distinguo inter leges *absolutas* & *hypotheticas*. *Hypotheticas* voco, quæ certum aliquod institutum supponunt. Instituta ista vel *divina* vel *humana* sunt. *Humana*, ut dominium rerum, pretium rerum & alia: *divina*: ut arbor vetita in paradiſo, matrimonium, sabbathum, sacramenta veteris & novi testamenti. Ad hæc instituta, ad hominum quippe salutem comparata, observanda, jure naturali obligati sumus. Hinc leges hypotheticæ. Ita *plana cuncta* & *in aprico posita*, optimeque inter se cohærentia. Omnia enim dubia facillime hac ratione solvi possunt. Non equidem in video, miror magis. Interim a tenera juventute observavi, quod hi, qui omnibus placere, maximam navare solent operam, qui *precipuus* Dn. Autoris character est, adhuc pluribus displaceant, quam qui cordate & absque adulazione doctrinam veritatis proponunt. Unde non mirabitur Dn. Autor, quod de prebenderim non paucos, qui istam facilitatem & planitatem aut perspicuitatem in illa doctrina & distinctione invenire non potuerunt. An id vitio propriæ mentis oculorum, an vero quod caruerint microscopis, quibus ipse usus est, adscribi debeat, aliis judicandum relinquo. Scilicet dixerunt: „1) Distinctio „nem istam inter præcepta juris naturæ *absoluta* & *hypothetica*, „non esse novum inventum, sed jam a Pufendorffio adhibitam „& a Thomasio retentam, neque tamen Pufendorffium potuisse „ea distinctione uti in solvendis questionibus matrimonialibus, „Thomasiūm vero lib.2, cap. 3. ostendisse, illam distinctionem in „genere in definiendis controversiis non magnum afferre usum. „2) Obscurum esse, annon instituta humana quæ vocat, etiam „sint inventa ad salutem vel utilitatem humanam? Et si sint, „an 3) Autor putet, ideo homines etiam jure naturali obligari „ad instituta humana observanda, ac, ut idem vult, ad *divina*? „Si putet, an 4) arbitretur, homines, qui in communione vivunt, aut qui scientes a communi rerum pretio recedunt, pecare contra *jus naturæ hypotheticum*? Si non putet, cur tamen instituta

„instituta hæc in recensendis præceptis juris naturæ hypotheticis
 „attulerit? 5) Cur ad instituta divina retulerit matrimonium,
 „cum tamen fatente Lutherò, sit negotium eque humanum ac
 „dominium? 6) Si ob benedictionem matrimonii id fecerit,
 „cur non & dominium ad instituta divina retulerit, cum inter
 „benedictiones divinas etiam subjectiones bestiarum in domi-
 „nium humanum numerentur? 7) Si dominium ideo omiserit in
 „institutis divinis, quod Thomasm secutus agnoverit, domi-
 „nium non esse juris præceptivi sed permissivi, cur non etiam omi-
 „serit matrimonium, cum etiam matrimonium secundum dicta-
 „men rectæ rationis & secundum scripturam, statum cœlibis me-
 „liorem prædicantis quam statum uxorati, sit juris naturalis per-
 „missivi & comparativi non præceptivi & universalis, & ipse
 „Autor, cum (ex metu, ne in se odium dominantis & hereticans-
 „tis orthodoxie excitet) in variantibus elementorum philos-
 „practicæ editionibus & in his Theologie moralis institutionibus
 „nugas illas Rabbinicas de præcepto universalitatem matrimonii de-
 „fendere voluerit, mire etiam & misere se torserit ac variaverit.
 „8) Quod si matrimonium ideo inter instituta divina retulerit,
 „quod Deus Autor sit primi conjugii & approbator, cur non
 „etiam eo retulerit institutionem magistratus politici? &c. 9)
 „Obscurum esse, cur hic, dum de institutis divinis loquitur, men-
 „tionem faciat salutis non utilitatis humanæ. Si enim per
 „salutem hoc loco intelligat felicitatem (venam) temporalem,
 „falsum videri, sacramenta introducta esse ob felicitatem tem-
 „poralem; Si eternam, falsum esse, matrimonii finem esse felici-
 „tatem eternam; falsum esse, ius naturæ versari circa ea, que
 „ad salutem eternam pertinent, & non nisi a revelatione depen-
 „dent., Putarunt itaque distinctione hac nova vel novo modo
 explicata & applicata Dn. Autorem doctrinas antea intricatas,
 non soluisse, sed intricatores reddidisse. Obstupescbam, cum
 ista audiarem, potissimum ob eam causam, quod facile sentirem,
 objectionem ultimam de confusione luminis naturalis & revelati
 esse non parvi ponderis. Regerebam igitur, non judicandam
 esse doctrinam illam novam ex hac breviore ejus summa, sed

conferendas esse ejus applicationes ad questiones speciales, & ad
 defensionem Dn. Autoris suadebam, ut dissentientes legerent ea,
 quæ traduntur in eadem Parte 2. cap. 2. §. 23. ubi ad obiectio-
 nem istam videtur voluisse respondere, docendo, in statu inte-
 gritatis fuisse certa instituta, sabbathum, matrimonium,
 constitutionem arboris vitæ, & cognitionis boni & mali.
 Leges divinas circa hæc instituta fuisse hypotheticas,
 quæ tamen & recte naturales dici possint, quoniam ex
 hocce generali principio fluant: Quæcunque Deus ad
 hominum salutem instituit, ea summa diligentia sunt
 observanda: seu quod perinde est: Deo in omnibus est
 obediendum. Sed nec hoc modo speratum finem obtinere po-
 tui. Quin potius dissentientes ruborem mibi excusserunt, dum
 urgerent, ut ipse paulo attentius hunc locum considerare debe-
 rem, tunc enim me statim agnitorum esse, doctrinam istam Dn.
 Autoris nec planam, nec perspicuam, adeoque nec facilem,
 sed uno verbo evidenter falsam, aut mitissime loquendo, con-
 fusissimam esse Videlicet „rejicere nunc Dn. Autorem jus di-
 „, vinum positivum universale antea adstructum, & promittere se
 „, ex jure nature (omni juri positivo, etiam ex hypothesi propria,
 „, opposito) omnes difficultates, ob quas Doctores jus div. pos-
 „, univ. invenerant, facilime expediturum esse, & tamen statim.
 „, & hoc potissimum in loco fingere rem hacenus inauditam, &
 „, contradictionis ens juris simul naturalis & positivi, cum omnis
 „, institutio divina etiam ex mente eorum, qui canonis illius (quod
 „, omne institutum divinum vim legis habeat) autores sunt, eo
 „, ipso, qua institutio est, sit aliquid positivi, & adeo praterna-
 „, turale, naturale autem jus, sive hypotheticum sive absolutum
 „, ex solo dictamine juris naturalis deducitur, ita ut revelatione
 „, non habeat opus. Deinde falsum esse, quod ea omnia sint ju-
 „, ris naturalis, quæ fluunt ex isto principio: quod ea, quæ Deus
 „, ad hominum salutem instituerit, summa cum diligentia sint
 „, observanda. Nam quod minorem attinet, etiam omnia, quæ
 „, Deus in lego quacunque positiva instituit, omnia precepit Chri-
 „, stianæ religionis a Deo sunt instituta ob salutem humanam, &
 adeo

„adeo(quoad conclusionem) observanda, & tamen neque omnes
 „leges positive divinae, neque precepta religionis sunt juris na-
 „turæ sive absoluti sive hypothetici. Adjus naturale requiri, ut
 „non solum major propositio: (Quicquid Deus vult, est facien-
 „dum) ex dictamine recte rationis præcipiatur, sed & ut minor
 „(Atqui hoc Deus vult) ex mitione etiam sibi relicta demon-
 „stretur. Eiusmodi vero effugiis aperte falsis aut contradicto-
 „rios conceptus involventibus repletas esse omnes decisiones, quas
 „antea Dn. Autor ex lege div. posit, univ. deduxerat, nunc au-
 „tem ex isto jure naturali hypothetico, nescio quo, demonstrare
 „voluerit, potissimum vero eas, quæ causas matrimoniales re-
 „spiciunt. „ Fateor me nescivisse & adhuc nescire, quid pro
 defense Dn. Autoris ulterius urgere potuerim vel debuerim,
 potissimum cum recordarer a me in Institut. Jurispr. div. lib.
 I. cap. 3. & 4. ad oculum monstratum esse, præceptum: Deo pa-
 rendum esse, esse primum principium omnis juris divini in ge-
 nere, quatenus a naturali & positivo abstrahit; sed minime esse
 principium juri naturæ proprium. Interim excusabam aliquo
 modo Dn. B. quod se seducere passus fuerit a vulgato illo: insi-
 tutionem divinam habere vim legis, quod videlicet in ore omni-
 um & Theologorum & Jctorum, etiam protestantium, depre-
 henditur, cum tamen id dictum, nisi cautissime exponatur, (qua
 de re forte quid notabo infra ad doctrinam de societate con-
 jugali) sit singulare arcanum politicum Cleri Papalis. Vide
 interim quæ jam prænotavi in Cautel. circa præcogn. jurispr.
 Eccles. cap. 5. §. 13. pag. 43. seq. &c.

§. XVII. Debuissent*) etiam scriptores juris naturalis
 (utpote quod cordibus omnium hominum inscriptum est)
 abstrahere a revelatione & scriptura sacra, cum natura & re-
 velatio tanquam diversa principia non sint confundenda,
 sed paucissimi quidem †) id observarunt: Quin potius com-
 muniter scriptores juris naturæ magno cumulo immiscere
 solent loca scripturæ, quamvis plerique diversas habuerint
 intentiones. Scholastici doctores, ut sub prætextu zeli di-
 divini conscientias hominum magis sub sua tyrannide tene-
 rent,

rent, ac cum rationibus eas ligare non possent, autoritatis falsarum sacræ scripturæ interpretationum easterrent: Grotius, ut subinde erroneous illas explicationes pro ea, qua pollebat, insigni eruditione convelleret: Pufendorffius, ut ostenderet, se nihil docere, quod sacris literis sit adversum.

*) Ratio undecima instituti. †) Primus ni fallor, fuit Hobbesius, qui communem Scholasticorum methodum in questionibus juris naturalis textus scripturæ & ratiunculas quascunque miscendo, neglexit, atque in tractatu de cive ejusque partibus duabus prioribus de libertate & imperio, ita se gessit, ut initio doctrinæ sua fundamenta continuis iisque brevibus positionibus ex principiis præmissis deduceret, ac postea cap. 4. & u. peculiaribus locis monstrare intenderet, suam doctrinam conformem esse scripture sacræ, ab autoritate vero humana plane abstinenteret. Quia methodo, observata id efficit, ut, quamvis ejus principia, si paulo attentius ea examines, lubrica sint & parum coherentia, multos tamen, ex reliquorum Doctorum, rationes & autoritates tam sacras, quam profanas ubique miscentium, methodo, tandem capientes, decepserit, ut ipsi applaudenteret: Sentiens hoc Cumberlandus, præcipius Hobbesii adversarius eodem modo in tota de legibus naturæ disquisitione pariter abstinuit ab omni autoritate tam divina quam humana, rationem intentionis sue exponens in Prolegomenis §. 27. Verum, inquit, in sequenti tractatu consultum duximus intra philosophiæ fines nos totos continere; ac proinde omnino abstinuimus a questionibus Theologicis, de jure dominii divini in re prædestinationis, aut satisfactionis a Christo præstita; nec consideravimus, quantum detrimenti facultates hominum, qui nunc sunt, passæ sint e peccatis protoplastarum, de quibus e Scripturæ testimoniosis judicium ferendum est; sed legem Naturalem e sola, cuius nunc conscië sumus, ratione & experientia conati sumus probare. Certi interim sumus, nihil unquam veris rationis nostræ dictatis contradictorum a Deo unquam revelari posse. Imo sacras

cras Scripturas ideo credimus a Deo seu naturæ Autore proficiſci, quoniam leges naturales ubique illuſtrant, muniunt, promoventque. Huic autem consilio absti- nendi a Theologicis controversialis consonum est, quod noluimus cum ipso Hobbesio circa Scripturæ sensa litiga- re. Addo tamen, hoc ideo præcipue fruſtraneum eſſe viſum, quoniām credere non poſſum, illum earum au- toritate animitus moveri, quippe quam a voluntate singularum civitatum totam derivari statuit, adeoque earum arbitrio eſſe mutabilem; hic validam, alibi nul- lam eſſe docuit.

§. XLIX. Mihi præterquam quod & eandem habue- rim cum Pufendorffio intentionem, vel ideo non fuit absti- nendum plane a scriptura ſacra, partim quia primarium characterem legis positivæ universalis posueram in ſacris literis, partim etiam, quia ſine accuratiore inspectione ſacrarum literarum non poterat ex merito examinari pertinacioris ad- versarii Pufendorffiani (*† Valentini Alberti*) hypothesis de fun- damentalī propositione juris naturæ quærenda in convenien- tia & diſconvenientia cum ſtatu integratatis.

§. XIX. Nunc vero cum eodem fato cum Pufendorffio ſatis expertus fuerim, provocatione ad ſacram ſcripturam ma- gis irritari crabrones, quam si ea abſtineatur, & præterea lex illa positiva universalis a meipſo jam iterum fuerit deſtructa, ac denique hypothesis iſta de fundamento juris naturæ in ſtatu integratatis quærendo jam ſit fere ſepulta; ratio juris naturæ modo dicta ſuadet, ut & a ſacris literis & a ſtatu integratatis plane abſtraham, *) præprimis, quia insuper ſtatus inte- ger non ſolum eſt plane amissus, ſed & non poſteſt in hac vita rufus acquiri. Ut taceam, ſcripturæ ſacræ scopum eſſe vitam felicem futuri ſæculi; doctrinam autem moralem & totam jurisprudentiam intendere ſaltem veram felicitatem vitæ præſentis.

*) In ſcholis tamen noviter nunc adjectis quandoque allegavi tex- tus S. Scriptura, ut oſtendam doctrinas meas, que multis no-

væ & periculosæ videntur, convenire etiam satis aperte sum
Scriptum Sacra.

§. XX. Quemadmodum autem ex haec tenus dictis patet, cur ab allegatione Autorum, a sacris literis, a statu integratissimis, in his meditationibus plane sim abstenturus, neque amplius ullam legis divinæ positivæ universalis mentionem injicetur; ita operam dabo in sequentibus, ut & reliquos defectus haec tenus (* §. 5. ad 12.) notatos queam emendare.

§. XXI. Et quoniam deprehendi, quod hypotheses a me alibi †) demonstratae de natura spiritus, de forma essentiali hominis, de hominibus inter se specie differentibus, de spiritibus *) oppositis & secum pugnantibus in homine, multis displicuerint, non tam, quod rem ipsam ibi demonstratam negare ausi fuerint, quam quod termini technici in istis assertionibus adhibiti illis horrorem incusserint, utpote qui ipsis statim in memoriam revocarunt, quod contrarium doceatur in scholis & Academiis, qualia vulgo solent haberi pro articulis fidei; tentabo, an & huic scandalo obviamiri possit.

t) *Im Versuch vom Wesen des Geistes, potissimum cap. 7.* *) *In primis dictatis hujus capituli prooemialis ita scriptaram: de spiritu bono & malo, de quatuor spiritibus oppositis. Nimirum secundum dictum eorum, quæ docueram partim in secunda parte Ethices, partim in tentamine de essentia spiritus cap. 7. thes. 188. seqq. Sed nunc ista mutavi hic lib. I. c. 3. n. 77. seqq. Igitur hæc duo potissima sunt, in quibus nunc a priori doctrina abeo: quod non amplius doceam, hominem ex bono & malo spiritu esse compositum (dum videlicet doceo tres affectus dominantes non totos sed saltem quoad excessum esse malos, alias sua natura indifferentes) & quod adeo amor nationalis non sit amplius quartus affectus realiter distinctus a voluptate avaritia, ambitione, sed saltem temperatus ex his tribus. Ab hac vero mutatione dependent multæ conclusiones in Ethicis.*

§. XXII. Fiet autem id aliquo modo, si quantum fieri potest, abstrahatur ab omnibus terminis Logicis & Metaphysicis, & res ipsa verbis maxime perspicuis proponatur, & talibus,

bus, qui communiter intelligi possint a quovis, qui saltem vel sonum vel brevem eorum descriptionem audierit; tum, si nihil afferatur aut negetur, nisi quod tale esse percipi possit sensu communi, †) e quovis homine præjudiciis non plane immerso.

†) *Hinc in titulo mentio facta sensus communis. Hac occasione dictum, quomodo res morales & in genere invisibiles cadere possint in sensum. Invisibiles partim efficienter per visum, ut signa in vultu & actionibus, item per auditum, ut ventus, item sermo quatenus est character animi, porro per olfactum & gustum, ut virtutes herbarum &c. partim negative, quod sentiamus aerem & lumen esse invisibilia, adeoque nec aerem nec lucem concipiamus cum Cartesianis, ut corporum visibilia sub ceras figuris particularum. Morales in specie orientunt ex variis observationibus sensibilibus conf. §. 26. hic.*

§. XXIII. Ita mihi perinde erit, si tibi non placeat, quod forma essentialis hominis consistat in voluntate, quod homo ab homine specie differat, quod regatur spiritibus oppositis &c. si modo palpabiliter sentias, verum esse, principium dirigens actiones humanas esse non intellectum, sed voluntatem, hominum vero singula individua a natura voluntatibus diversis & oppositis esse prædicta, imo unum hominem impelli primario a voluntate, modo ad hoc concupiscendum modo ad aliud, quod priori voluntati erat oppositum &c.

§. XXIV. Considerabo porro naturam hominis moralis pariter secundum sensum communem humanigenoris, & simul ostendam intimam ejus connexionem cum communis aliorum corporum natura, *) quæ alias quamvis satis incommode, natura hominis physica †) dici solet, sic vero evitabo nāvum **) communem, secundum quem moralia rebus physicis alias nimis opponi solent, & simul ostendam, naturam hominis moralis & quæ demonstrationibus subjaceret ac intellectualem & corpoream.

*) Conf. Cumberland. toto cap. i. maxime §. 3. p. 3. †) Vide hic l. 1. c. 1. §. 58. seq. **) Jam supra §. 7. notatum.

§. XXV. Denique ostendam facilem ac perspicuam differentiam triplicis moralitatis , honesti, decori & justi, quatenus ea ex communi hominis natura morali sua sponte fluit. Quæ differentia ubique in definiendis controversiis alias maxime difficultibus multas suppeditabit utilitates.

§. XXVI. Quod si †) quibusdam & hæc emendatio non placuerit, quod alicubi adhuc recedam a communibus sententiis, quæ etiam virorum celeberrimorum assensum naætæ sunt; illos rogo, ut ex altera parte considerent, quod ubique mihi proposuerim sequi sensum communem, atque non stabilire intenderim sententias, quæ multis subtilibus abstractionibus opus habent, sed quarum veritatem quilibet, si modo paullum attentior esse velit, intra se sentit, quodque ubique quæsiverim conclusiones connectere cum suis principiis, adeoque etiam non potuerim principia magnificare, quæ cum conclusionibus apertæ & concessæ veritatis non commode connecti possunt.

†) Quæ jam sequuntur, in primis dictatis anno 1703. non erant addæcta, quia credebam precedentia sufficere auditoribus. Cum vero scripta typis impressa Lectores quosvis nancisci soleant, quorum multi antiquis præjudiciis sunt immersi, in horum, & potissimum in dissentientium gratiam adjecti §. 26. usque ad 31. in prima editione 1705. uti jam supra notavi ad titulum bujus capitii.

§. XXVII. Ut autem libertatem relinquo cuilibet, cui hæc mea non placuerint, manendi in via trita & communi, ita eandem libertatem & mihi stipulor, saltem in eo deteriorem conditionem meam faciens, quod promtissimus sim, mutare doctrinam meam , meliora edocetus , ego vero non ægrelatus sim, si dissentientes etiam pertinacissime suas doctrinas defendere sint parati.

§. XXIX. Ergo non repugno, si quis me meliora docere velit, non autem promitto, quod sententiam mutaturus sim, si quis sibi persuadeat, quod me meliora docuerit. Non sufficit, si sibi medicus persuadeat, quod ægrotantibus sanitatem

tem restituerit, si hi id non sentiant ipsi. Ergo qui me meliora docere volent, ante omnia examinabunt, an ipsimet in eo statu sint, ut ad docentium, non ad discentium classem referri mereantur; an affectibus sint vacui & præjudiciis; an regulas bonæ disputationis observent, & nullis fallaciis in arguendo utantur; annon fallacibus deductionibus utantur, quæ absurdi forte quid continent, si cum sua hypothesi debeant conneeti, non, si cum mea; an contradicunt, si quam forte ostendere velint, sit vera, an apparens, &c.

§. XXIX. Præprimis autem considerabunt, quod ad evitandas omnes novæ litis occasiones in re nulla revelatione necessario opus habente, sed a sensu quotidiano cuiusvis dependente sola ratione utar, atque adeo sacris literis non contradicam, *) sed ab iis saltem abstractione. Considerabunt, me agere de felicitate, quamvis vera, temporali tamen & hujus saeculi; adeoque me non contradicere Theologis de futuri saeculi beatitudine æterna, hominum ab hominibus in hac vita plane diversorum, & ita a felicitate hujus vitæ plane diversa, agentibus, et si forte quædam hic posita fuerint, quæ videantur aliter doceri in systematibus Theologicis. Recte docet Physicus, virginem non parere, & hominem absque semine virili non concipi: neque contradicit scripturæ sacræ aut Theologo, qui ex scriptura sacra docet, Salvatorem mundi a virgine conceptum sine virili semine & salva virginitate editum esse. Similiter JCtus aut Philosophus recte docebit, hoc vel illud ab hominibus inter se salvis regulis justi & decori fieri non posse †) quod tamen non repugnat regulis sanctitatis & justitiae divinæ, utpote quæ mensuram regulorum humanarum excedit. **)

*) Conf. iterum Cumberl. d. p. 3. †) Aut vice versa aliquid inter homines salvis regulis justi & decori fieri posse, quod tamen Theologi docent repugnare regulis sanctitatis & justitiae divinæ. Ita JCtus docet Principi competere jus agnatiandi, quod tamen Theologi contra Socinianos docent, a Deo salva ejus justitia exerceri non posse. **) Exempla habes hic in cap. 7. lib. 1.

lib. i. §. 30. 31. 33. de imputatione premii & pœnae. D. Rechenb. de jure aggrediandi circa pœnam homicidii §. 32. De vade pœna sumi non debet in foro humano, bene tamen in divino.

S. XXX. Denique rogo, velint omnes, quibus mea, tanquam noviora, forte displicent, antequam mihi irascantur, serio expendere illud Senecæ de vita beata c. 1. & 2. Nihil magis prestandum est, quam, ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum est, sed qua situr. Atqui nullares nos majoribus malis implicat, quam, quod ad rumorem componimur, optima ratio ea, que magno assensu recepta sunt, quorumque exempla nobis multa sunt; nec ad rationem, sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coacervatio aliorum supra alios ruentium. Quod in strage hominum magna evenit, cum ipse se populus premit nemo ita cadit, ut non aliud in se attrahat. Primi exitio sequentibus sunt; hoc in omni vita accidere videoas licet. Nemo sibi tantum errat, sed aliis erroris causa & autor est. Nocet animi applicari antecedentibus, & dum unusquisque mavult credere, quam judicare, nunquam de vita iudicatur, semper creditur, versaque nos & præcipitat traditus per manus error, alieniusque perimus exemplis. &c. Cum de vita beata agitur, non est, quod mihi illud discessum more respondeas: Hec pars major esse videtur. Ideo enim pejor est. Non tam bene cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est. Quaramus quid optime factum sit, non quid usitissimum, & quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. Vulgus autem tam chlamydatos, quam coronam voco, &c.

S. XXXI. Quodsi forte Philosophus ethnicus non sit ad palatum, en aliud simile lacteæ eloquentiæ patris libro II. diuin. instit. c. 7. Oportet in ea re maxime, in qua vita ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus nisi ad investigandam & perpendendam veritatem; quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quo-

quoque antecesserunt, quæ si omnibus equaliter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illi habilis est, tanquam lux & claritas solis, quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, veritatem querere omnibus sit innatum, sapientiam sibi admunt, qui sine ullo iudicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur, aut illi despuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum, ut, quomodo illi, qui falsa invenierant, posteris tradiderunt, sic nos, qui verum invenimus, posteris meliora trademus.

†) §. XXXII. Evidem diffiteri nequeo, me tum temporis cum ista scriberem, potissimum intendisse, ut illi, quibus displaceceret, quod doctrinas meas, quas habentus fecuti erant, hinc inde mutasse, rem ipsam & momenta, quæ me ad istam mutationem movissent, considerantes & loca Seneca & Laeliani attente penderantes, vel agnoscerent suos etiam errores, in quos ex nimis properante approbatione doctrinae meæ inculti incident, vel (si maxime honoris & existimationis sua interesse putarent, ut auditores eorum, vel lectors scriptorum ab ipsis editorum, non ita sensibiliter palparent, quod ipse ad inventandas veritates vel a natura essent inepiti, vel ex ignavia sibi facilius esse imaginarentur, compilando alios, & horum inventa doctrinis habentus receptis & magnam partem erroneis utcunque assuendo, sibi apud vulgis famam querere;) ut libertate quidem sua etiam intuitu defensionis sententiarum erroneous uterentur, & lynæ, cui semel assueti erant, lynare pergerent, sed tamen, ut in hoc ingenii sui abusu, saltim ab impetitione fame meæ sibi caverent, & rationibus adversus me pugnarent, ac a convictis, maxime vero ab insidiosis columnis abstinerent.

*) §. XXXIII. Sed tamen & hic spes mea me fefellerit, ac quemadmodum divinae providentie placuit, ut naturalis mea ad otium literarum inclinatio a juventute perpetuo variis adversariis excitaretur, ita etiam iidem adhuc non desinunt, quamvis alii aliis soleant esse periculosores, quos etiam post publicata hac fundamenta sum exceptus.

†) §. XXXIV.

†) §. XXXIV. Nimisrum duplicitia sunt hostium quorumcunque genera. Unum apertum, alterum occultum & latitans, posterius iterum vel publicè non dissimulans si non odium, salem carentiam amicitiae, vel simulans amicitiam, & eos, quibus insidias struit, laudans, atque aliis commendans, passim tamen si non apertis verbis, ambiguis tamen & revera noxiis, eorum famam fuggillans. Horum ultimum maximè pre reliquis solet esse noxiū, & non nisi divino auxilio repellendum, quamvis nec eorum intuitu planè omnis cautio humana sit prohibita.

*) §. XXXV. Ita in rultorum eruditorum manibus sunt discursus ex docentium ore, discentium calamis excepti, in quibus vel de historia ecclesiastica & de causa orthodoxismi & Pietismi, vel de quaestione utrum lex naturalis sit lex propriè dicta, an propriè consilii species, agitur, ubi non pauca quidem hinc inde encomia de me reperiuntur, sed tamen, dum vel historia fatorum meorum recensetur, vel dissensus a doctrina mea proponiur, non obscure affèritur, ac si adversus adversarios apertos atheismi vitium mibi (per calumniam apertam, ut jam alibi ostensum) imputantes, non satis me defenderim, aut a justa suspicione liberaverim, item quod doctrina mea de jure naturæ ad consilia magis quam leges stricte dictas pertinente, talis sit, ut præcipua fidei fundamenta destruat, vel ut ipsi loqui amant, daß Himmel und Hölle dran hange. Quorum utrumque qua fide, quave intentione dicatur, stupidus sit, qui non palpet.

†) §. XXXVI. Quare autores ejusmodi calumniarum hac occasione amice monere volut, ut tandem aliquando desinant sub larva amicitiae venenata ejusmodi elogia de me spargere, & autoritate sua, qua ex Dei permissione pollent, incautam juventutem decipere, ac miseriā sophistificationum propriarum, & perpetuarum contradictionum, quibus scripta eorum repleta sunt, agnoscere. Neque mibi vitio vertent, si vel in notis his novis forte ipsorum fallacias breviter & perspicue, modeste tamen, detectas deprehendant, vel alibi in miscellis, quas meditor, meditationibus Germanicis paulo fusiorem defensionem in conscientia mee, Deo dante lecturi sint, cum & veritatis a me pro viribus haedensis propagate interficit, ut perspicue eandem a talibus argutiis libarem, nec tacendo adversus falsas imputationes sapius repetitas, easdem silentio meo approbabasse videar.

LIBER I.

CAPUT I.

DE NATURA HOMINIS MORALI.

S U M M A R I A.

Mundus constat ex invisibilibus potentiis & corporibus visibilibus. 1.
 Omne corpus habet potentias iuvosibiles. 2. Materia dicitur res
 visibilis, natura res invisibilis in corpore. 3. Varia genera corpo-
 rum naturalium. 4. Hominis convenientia cum aliis corpori-
 bus, quoad corpus. 5. Differentia, quoad mentem. 6. Hu-
 jus due potentiae, intellectus & voluntas. 7. Sensibilia in corpo-
 ribus sunt signa potentiarum. 8. Idem dicendum de homine. 9.
 Potissimum differentiae corporis humani a corporibus bestiarum. 10.
 Cur tamen hoc non obstante differentia hominis a bestiis queruntur
 in animo? 11. Potentiae invisibilis ubi censeantur esse, & unde
 definiantur? 12. Cura in inquirenda earum sede adhibenda. 13.
 Quia non semper sunt, ubi operantur. 14. Homo habet sensio-
 nem, ubi sunt potentiae anime sue. 15. Intellectus & Voluntas
 sedes ac differentiae. 16. Earum descriptiones. 17. Actus in-
 tellectus: Sensiones & Intellectus purus. 18. Sensus communis.
 19. Ejus differentiae a sensu externo. 20. 21. 22. Sensus exter-
 nus commune instrumentum & intellectus & voluntatis. 23. Ima-
 ginatio. Memoria. Phantasia. 24. Cogitatio de futuris est opus
 Phantasie. 25. Cogitationes singularium sive de corporibus ut to-
 tis 26. & universalium sive de potentiis. 27. Scilicet a materia
 vel abstractis vel separatis. 28. Unde Mathesis, Astronomia,
 Physica, Logica, Moralis, Metaphysica. 29. Omnem cogitatio-
 nem fieri querendo, affirmando, negando. 30. Questiones An?
 & quid? 31. Ratiocinatio, Methodus. 32. Memoria, Judicium.
 33. Voluntas est conatus cordis. 34. conjunctus cum cogitatione.

35. non tamen est ipsa cogitatio; 36. Voluntatis & intellectus mutua relatio. 37. Potentiarum humanarum motus duplices. 38. Omnes potentiae humanae, etiam voluntas, moventur a potentia extra hominem. 39. Voluntas potest cogi. 40. Potentiae corporis humani omnes movent intellectum: intellectus eas non moveat. 41. Nec locomotivam. 42. Voluntas quatenus moveat locomotivam. 43. ipsa tamen locomotiva est potentia separata a voluntate. 44. Intellectus potentiae peculiares a voluntate non dependentes. 45. At in iudicio de bono & malo ad nos ipsos intellectus a voluntate dependet. 46. Causa erroris, quod intellectus in materia boni vel mali voluntatem dirigit. 47. Intellectus & voluntatis actiones & passiones. 48. 49. 50. Omnis actio intellectus est immanens. 51. Et omnis actio voluntatis transiens. 52. Electio non est actio voluntatis. 53. Voluntas est primum agens anime humanae. 54. Actiones voluntariae & non voluntariae. 55. Voluntas non est potentia voluntaria sed necessaria. 56. Natura hominis moralis. 57. non reble opponitur natura physica. 58. Natura physica est vox inepta. 59. Moralia sunt conclusiones naturalium. 60. Natura hominis rationalis quo respectu opponatur morali? 61. Voluntas quatenus rationalis dici possit. 62. Actiones morales vel rationales vel irrationales. 63. Libertas & servitus intellectus 64. 65. & voluntatis. 66. 67. Spontaneum & liberum differunt. 68. Actio spontanea dicitur in specie humana. 69. Actio spontanea imputatur homini. 70. Cur ad actionem spontaneam requiratur intellectus? 71. Actiones, qua homini non imputantur. 72. Tractatio ulterior de imputatione differtur. 73. Potentiarum universi mutua unio & pugna. 74. Privilegium potentiae prime pra reliquis omnibus. 75. Quod potentias corporis conservat, bonum: quod eas destruit, malum dicitur. 76. Potentiae unius corporis se invicem adjuvant. Sympathia. Antipathia. 77. Vita. Mors 78. 79. Corpus morale, potentia immortales. 80. Omnes potentiae corporum conspirant ad vitam earum conservandam. 81. Etiam potentiae bestiarum. 82. Voluntas humana multa appetit vitam pedentim defruentia. 83. conservantia tamen potentiam voluntatis. 84. Ita bonum voluntatis repugnat saepe bono hominis. 85. Bonum totois preferendum

dum bono partis. 86. Bonum verum & apparenſ. 87. Voluntas igitur & ſemper bonum & ſepe malum appetit. 88. Cupiditas, deſiderium, amor, ſpes; Fuga, horror, odium, metus. Affectus, paſſiones animæ. 89. Ratio recta, corrupta. 90. Diſcriben inter rationem rectam & corruptam in applicatione, eſt diſſicile. 91. Accuratiuſ judicamus de actionibus aliorum, quam de propriis. 92. Sepe tamen & judicium de aliorum actionibus eſt corrumpenſ. 93. Reclitudo intellectus valde reſtricta. Cur disciplina morali non opus habeant beſtie? 94. Cur homo opus habeat? 95. Duplex error fundamentalis doctrina communis. 96. Unus, quod intellectus debeat normam preſcribere voluntati. 97. 98. Alter, quod voluntas habeat libertatem eligendi bonum verum. 99. In aliis corporibus ſinguli unius generis eſt una eademque potentia. 100. Etiā in beſtis. 101. At homo habet voluntates oppoſitas & pugnantes. 102. Nullus homo cum voluntate alterius in omnibus conſpirat. 103. Ne- mo etiam in omnibus voluntati alterius repugnat. 104. Singuli homines etiam habent voluntates oppoſitas & pugnantes. 105. Pro- batur utrumque assertio ex signis corpori impressis. 106. 107. Signa hæc vel ſunt valde dubia, ut chiromantica & physiognomica, vel ſunt certa & facili impressa. 108. Omnes hominum facies ſibi ſunt diſſimiles. 109. Multæ facies ſenſibiliter exprimunt paſſionem ho- minis dominantem. 110. Signa paſſionum vitiisarum illi, & bona- rum. 112. Ille non fallunt, hæc ſunt fallacia. 113. Quorundam signorum congenitam habemus notitiam, quorundam significatio- nem attenta obſervatione & ratiocinatione diſcimus. 114. Ut ſe paſſiones dominantes mixtae ſint. 115. Signa variantium affectuum in uno homine. 116. Homo ab homine vel ſpecie vel certe volunta- te diſſert. 117. Origo erroris communis, ac ſi voluntas habeat in- ternam libertatem & elecſionem. 118. Scilicet, quod doceatur, ac ſi singuli homines habeant unam voluntatem. 119. Voluntates ho- minum infinite variantes redigende ad ſumma genera. 120. Omnes homines volunt vivere diutiffime 121. & feliciffime. 122. 123. i. e. jucunde & absque dolore. 124. Sensus tamen doloris & jucun- ditatis non eſt idem. 125. Omnes ſentient dolorem ex fame, ſiti, prurigine, paupertate, ignominia & servitute, ſe extrema hæc ſint omnia.

omnia. 126. Alii vero toti adherent voluptati, 127. alii avaritiae, 128. alii ambitioni. 129. Tres haec passiones dominantur toti humano generi & singulae dominantur in singulis. 130. In quibusdam una, in quibusdam due, in quibusdam omnes tres. 131. Tres illae passiones non oriuntur ab uno communi principio, neque intellectus, 132. neque voluntatis. 133. 134. Quia sunt voluntates pugnantes. 135. Quod probatur tum ex natura voluptatis, 136. avaritiae, 137. ambitionis. 138. Tum ex actionibus hominum ab his affectibus dependentium 139. Tum ex sensu cuiusque interno. 140. Dubium de spe & metu &c. oppositis affectibus & tamen ad unam voluntatem pertinentibus. 141. Resolvitur, esse eas affectuum saltem affectiones. 142. Neque oriri ex uno principio. 143. Quae communiter tribuuntur electioni voluntatis, referenda sunt ad victoriam voluntatis potentioris. 144.

§. I.

Totum universum, quod communiter mundus vocatur, constat ex rebus, partim visibilibus, partim invisibilibus,*) ut aëre, † luce, æthere &c. Visibilia dicuntur corpora, invisibilia dicemus potentias, facultates, virtutes &c. **)

*) Philosophi dicunt ex substantiis vel corporeis vel spiritualibus. Quia autem voces corporis & spiritus, item substantia ipsius sunt maxime ambiguæ & obscure; visibile autem esse & invisibile incurrit in sensus, his malui uti. Ut taceam, ita & Scripturam loqui. Etenim non solum naturam Dei spiritualem exprimit per naturam invisibilem; Rom. I, 20. Coloss. I, 15. 1. Tim. I, 17. sed & creaturas dividit in visibles & invisibles, Coloss. I, 16. & per invisibiles intelligit spiritus etiam secundum communem explicationem. Porro visibilia vocat temporaria, invisibilia æterna 2. Cor. IV, 18. Imo Hebr. XI, 3. dicit, visibilia facta esse ex invisibilibus. Ubi NB. quod Lutherus reddiderit: Das sichtbare aus nichts gemacht, quia nempe secundum vulgarem loquendi modum invisibilia vocamus nihil. †) Sensu communi adversantur, qui docent, aerem esse corpus trans-

*transparens, si enim corpus esset, deberet videri. Scriptura dicit : Πνεῦμα πνεῖ, der Geist geistet, i. e. der Wind blaßet. **) Communiter consentiunt, virtutes rerum esse invisibiles. Sed & sensus communis docebit, omnia invisibilia esse virtutes.*

§. II.

Ut vero & aëris & lucis & ætheris exempla ostendunt, dari virtutes corpore visibili destitutas, †) ita experientia & sensus communis ostendit, nullum corpus visibile dari, quod non prædictum sit potentia invisibili, *) imo potius multis & variis virtutibus cum re visibili unitis, inque eam ut & in alia corpora influentibus.

†) *Nam aëris, lux, æther sentiuntur per effectus. Cave, ne putas, præter hoc me non admittere alia invisibilia, ut angelos, & animas separatas. Sed saltem hæc exempla huic non pertinent, quia non sensu percipiuntur, sed fide creduntur. *) Unde & chymici non ita possunt extrahere omnes virtutes, quin semper in capite mortuo quedam remaneant.*

§. III.

Quod in corporibus visibile est aut tangi potest, materialm vocamus: invisibilia autem & quæ tangi non possunt, vocamus naturam. †)

†) *Natura enim semper denotat potentias & virtutes, Bräßte. Habet simul clavem ad difficultem questionem de natura naturæ inter Boylum, Sturmum, Schelhammerum.*

§. IV.

Secundum diversum naturæ in corpora influxum corpora alia cœlestia sunt, alia terrestria, alia solida, alia fluida, *) alia illuminantia, alia transparentia, †) alia opaca &c.

*) *Ut aqua. Sed non omne fluidum est corpus. Ita aëris fluidus est, sed tamen incorporeus, quia invisibilis. †) Ut vitrum. Non tamen omnia transparentia sunt corpora, nam omne invisibile est transparens.*

§. V.

Homo uti ad classem rerum visibilium pertinet, non ad classem potentiarum aut virtutum invisibilium, ita multis

habet facultates, cum aliis corporibus terrenis, opacis ac solido fluidis (utpote sub quibus & ipse continetur,) propriis autem cum multis animantibus communes, e.g. vitam, locomotivam, potentiam generandi, concoctionem &c. quæ una cum materia visibili communiter ad corpus humanum referri solent.

§. VI.

Istæ autem potentiaz, per quas homo differt a reliquis corporibus, quæ nobis*) cognita sunt, & maxime a bestiis, dicuntur anima humana. Habes ita duas partes †) communes hominis, corpus & animam seu mentem.

*) *Nam ne quidem omnes terrestres creaturas cognoscere saltem uno & brevi intuitu possemus, etiam si anuum Mathusale viverrimus, aut etiam si a creatione mundi hucusque earum varia genera inspicere incepissimus.* †) *Unde non opus est, ut amplius scandalizentur dissentientes ob doctrinam de tribus partibus alibi & adhuc in tentamine de essentia spiritus defensam.*

§. VII.

Cum autem homo ab aliis corporibus omnibus differat potentia intelligendi & volendi, inde anima humana dicitur communiter constare duabus facultatibus, intellectu & voluntate.

§. VIII.

Porro quemadmodum vel ipsæ potentiaz corpora singulorum generum producunt, *) & particulas materiaz secundum certum situm uniunt, iisque adeo singulis peculiarem figuram formant; vel certe ipsæ diversæ corporum figurae †) & aliæ qualitates in sensu incurrentes signa & indicia sunt potentiarum & virtutum, quibus corporum singula genera a se invicem differunt, ita & cum corpore humano comparatum est.

*) *Hec mea persuasio est, ut deduxi in tentamine de essentia spiritus.* †) *Hec in gratiam eorum posui, qui ob meanam illam sententiam scandalizantur.* *Cum in hac posteriore & ego & ipsi consentiamus.*

§. IX.

§. IX.

Vel enim & ipsa anima humana diversam corporis humani a reliquis corporibus figuram in corpore matris format, vel certe ista differentia figuræ corporis humani ac partium ejus, qua internarum qua externalium diversam indolem & naturam animæ humanæ a potentiis reliquorum corporum designat. *)

*) *Quilibet sensu proprio experiri potest, si figuram faciei sensibiliter mutet, se tempore illius mutationis intra se sentire omnes illos motus animi, quos illi inactus faciei indicant.*

§. X.

Pertinet huc, quod cerebrum in homine pro mole corporis longe majus reperiatur, quam in alio quovis †) animalium genere; quod sanguinis spirituumque animalium inde manantium major sit copia, defæcatio item major per eretum corporis situm; vigor item motusque major propter adscensum patentiorum in cerebrum per tubulos carotidum integrorum; quod homo proprium sibi plexum *) nervorum habeat, quod pericardii cum diaphragmate in corpore humano connexio sit, & huic affinis communicatio inter dia-phragmatis nervum & plexum nervorum homini proprium; quod propensiones ad venerem non limitatae sint in homine ad quasdam anni tempestates, sed quodammodo perpetuae; quod vultu prædictus sit homo variorum affectuum indice, & a facie bestiarum multum diverso: quod manus habeat ad infinita facienda aptas, quæ bestiæ facere nequeunt; quod fabrica conjunctionis manus cum brachio, item structura pedum plane singularis sit, quod adeo homo erectus incedat, quod loqui, ridere, flere, suspiria ducere, & oculorum multiplici motu multiplices affectus & incitare & indicare possit &c. ‡‡)

†) *Videndum, an hoc univ ersale sit. Nam retulit mihi quoniam amicus Medicus, asenos habere maximam cerebri typiam.*

*) *Per hunc plexum sit communicatio inter cor & cerebrum.*

‡‡) *Quæ hac tenus in hoc paragrapbo adducta sunt, de iis fitus*

sus agit Cumberland. de Legibus naturæ c. 2. §. 23, seq. p. 134.
156. edit. in Oct. ubi p. 135. 142. etiam addit, majorem durationem
etatis humana tam puerilis quam adultioris. Sed eam ut ob-
servationem adhuc valde dubiam omittere malui.

§. XI.

Quamvis autem homo a reliquis corporibus non solum
animo, sed & ipsa figura corporis & membrorum differat, quia
tamen illæ diversæ figuræ indicia sunt potentiarum diversa-
rum; non incommodè differentia hominis a reliquis corpo-
ribus potissimum in ipso animo, hoc est, in potentiis illis pecu-
liaribus, quarum indicia sunt res illæ peculiares in corpore hu-
mano, quæ sensibus percipiuntur, primario quæritur.

§. XII.

Sed potentiarum quidem omnes ideo, quia invisibles sunt,
nec ipsæ adeo sensibus immediate percipi possunt, non solum
dicuntur præsentes esse, ubi signa earum in corporibus appa-
rent, sed & non nisi per operationes, quæ signa rebus, in quas
operantur, imprimunt, concipi aut definiri possunt, v. g. po-
tentia videndi in oculo &c. Eadem ergo erit ratio potentiarum
illarum peculiarium, hominem a reliquis corporibus
omnibus distinguentium.

§. XIII.

Caterum cum in operationibus & actionibus corporum
potentiarum operantes sæpe aliis corporibus eorumque potentiarum
mediantibus agant, ideoque non semper ex signis externis
tuto judicari possit de præsencia potentiarum primo moventis, sed
hæc esse possit in alio loco occulta vel occultata, igitur dili-
genti inspectione opus erit, ne in definitione potentiarum
decipiamur.

§. XIV.

Ita oculi hominum multa indicia dant & de intellectu
humano & de hujus *) variante apud varios agilitate; quin &
de ipsis voluntatis humanæ cupiditatibus; accurate tamen
loquendo neque intellectus, neque voluntas in oculo sub-
sistunt.

*) Nulla

*) Nullæ bestie in oculis tantam vivacitatem habent, quanta deprehenditur in oculis humanis.

§. XV.

Sed prædictus tamen est homo intrinseca facultate inquiriendi in sedes potentiarum propriarum, eosque peculiariter sentiendi, ubi sint, i. e. ubi operentur,

§. XVI.

Hujus ope scit, facultatem intelligendi non in oculo esse, sed in cerebro, & facultatem volendi nec in oculo esse nec in cerebro, sed in corde. Operatio autem illa intellectus, quam in cerebro sentit, est cogitatio; voluntatis, quam in corde sentit, est concupiscentia vel amor.

§. XVII.

Igitur f) intellectus est facultas animæ humanæ cogitandi in cerebro, & voluntas facultas ejusdem animæ concupiscendi in corde.

†) Vides, quomodo hactenus §. 12 - 16. quæsiverim definitiones intellectus & voluntatis ex observationibus sensus communis. Adeoque & Cartesanis (imo & Aristotelicis) voluntatem cum intellectu confundentibus nihil firmius opponere possumus, quam sensum communem.

§. XVIII.

Aëtus vero intellectus sunt cogitationes, quæ vel de corporibus cogitant, vel de potentiis. Illæ sensiones dicuntur, hæ intellectus strictè dictus aut purus. *)

*) Scilicet secundum explicationem §. 28.

§. XIX.

Sensiones corporum vel sunt præsentium vel absentium, sive præteriorum sive futurorum. Sensiones corporum præsentium dicuntur sensus communis, eaque non sunt confundenda cum sensionibus, quæ communiter sensus externi dicuntur, & mutis animalibus cum homine communes sunt, ut visus, auditus &c.

§. XX.

Sensus externi sive bestiales sunt tantum corporum & affectio-

E

affectionis

fectionum corporearum extra sensorium; sensio humana sive sensus communis est etiam ipsarum hominis potentiarum propriarum, †) aut certe operationum ab his potentissimis in corpore proprio provenientium.

†) *Id est sensio cogitationis & concupiscentiae & inde ortae inquietus.* Sensionem cogitationis Cartesius conscientiam vocat, alio significatu, quam vulgo conscientia vox accipitur.

§. XXI.

Sensus externi fiunt saltem simplici & confusa ac irrationali perceptione seu cognitione. Sensio humana affirmatio intellectus de re, quam sentimus.

§. XXII.

Sensio humana est actio propria intellectus, *) adeoque non hujus instrumentum. At sensus externus est diversa potentia & ab intellectu & a voluntate, sed utriusque tamen commune incitamentum. †)

*) *Est enim species cogitationis.* †) *Per sensiōnēm enim aquae movetur intellectus ad considerandum ac voluntas ad concupiscendum. Hinc regula: ignoti nulla cupido, de ignotis sensu est intelligenda. Nam multa concupiscimus, que non nisi confusa cognitione sensuali percipimus.*

§. XXIII.

Uti enim nihil est in intellectu puro stricte dicto, quod non prius vel ipsum, vel per operationes *) suas fuerit in sensione humana, & nihil in sensione humana, quod non prius fuerit in sensu externo; ita etiam ignoti nulla est cupido seu voluntas, sed omnis cupiditas ad operandum requirit minimum perceptionem seu cognitionem sensus externi.

*) *Per operationes non solum creature invisibilis, id est, potentiae creatae potissimum intelliguntur, sed & ipse Deus. Rom. I. v. 20.*

§. XXIV.

Cogitatio, quæ circa res præteritas vel earum imagines cerebro per sensiōnem impressas versatur, vel eas considerat prout sensui se obtulerunt, vel eas subtrahit aut componit. Utraque harum conjunctim imaginatio †) dici potest, quia cum ima-

imaginibus ludit, communi tamen loquendi modo prior species memoria vocatur, posterior dicitur opus phantasie sive imaginationis in significatu angustiore. *)

†) Hobbes. Leviath. cap. 2. *) Multa Cartesiani loquuntur de differentia inter imaginationem & intellectum purum, sed haec duo non accurate secernunt. Nam ideas Mathematicas attribuunt intellectui puro, cum tamen & harum pleraque (v.g. numeri, linea, circuli, trianguli) si non omnes, eque oriantur a sensu, vel certe sensum visus vel tactus presupponant,

§. XXV.

Dum vero omnia praesentia fiunt præterita, futura autem nondum praesentia fuerunt, & intellectus non nisi a praesentibus incipit, necesse est, ut & de futuris judicet ex praesentibus aut præteritis, per subtractionem aut compositionem. Unde & omnis cogitatio †) futorum est opus phantasie, non memorie, nec sensus communis.

†) Dico cogitatio. Nam judicium de futuris est vel prudentia vel imprudentia opus.

§. XXVI.

Sensiones autem haec omnes, quas hactenus recensuimus, id est, sensus communis, phantasia, memoria, cum de corporibus sint, †) corpora vero omnia singula sint, patet, cogitationes omnes de corporibus, consideratis ut totis, *) esse cogitationes singularium & sensiones.

†) Per §. 18. *) Nam si de partibus cogito ut separatis, possum jam cogitare universalia. Aliud si partes realiter separatas considerem. Tales enim partes revera tota sunt.

§. XXVII.

Cum vero dixerimus, †) omnia corpora constare ex materia & potentiis, materiam autem separatione non posse existere sine potentiis; patet etiam, quod nulla possit esse consideratione *) nec singularis nec universalis ipsius materiarum in abstracto, sed solum potentiarum: quamvis potentia communis omnibus corporibus, quæ scilicet ea visibilia facit & expandit, communiter, et si minus accurate, materia ††) dici soleat.

Accuratus autem vocatur natura corporis, cum potentia corporum & natura sint synonyma.

†) *Supra §. 2.* *) *Scilicet circa questionem quid? aliud circa questionem an?* ††) *Materia enim est extensa, potentia extendens. Unde communiter a Physicis in termino extensis confunditur actio & passio seu extensio activa & passiva.*

§. XXVIII.

De potentiis *) autem vel cogitamus, prout corpori unitæ sunt, vel abstrahimus ab hac unione. Prior modus pertinet ad sensiones. Posterior est cogitatio universalium. Cum enim omnia universalia fiant, per abstractionem, & in mundo nihil sit, nisi corpora & potentiae, materia autem non possit abstrahi a potentiis, sequitur, quod abstractio saltem sit potentiarum. Ergo nec ulla potentia potest considerari ut unum †) quid, sed ut uniens quid, aut ut unitas. Unitas autem etiam est quid universale.

*) *Connexionem quare §. 18.* †) *Unum enim est, quod est unitum, id est, patiens.*

§. XXIX.

Potentiam communem omnium corporum, id est, quantitatem considerat *Mathesis*, potentias corporum cœlestium *Astronomia*, corporum terrenorum tam potentiarum unitarum, quam separatarum *Physica*, potentiam in specie intellectus humani genuina *Logica*, voluntatis *Philosophia moralis*; potentiam primam omnium potentiarum *Methaphysica*, seu *Theologia naturalis*.

§. XXX.

Modi cogitandi omnes fiunt aut per investigationem aut per formationem propositionum. Illa dicitur quæstio vel etiam suspensio judicii, hæc vel affirmatio vel negatio. Sunt igitur affirmatio & negatio actiones intellectus, non voluntatis: & qui citra affirmationem aut negationem vel quæstionem cogitat, non potest dicere, quid cogitet. Quare simpliciter falsum est, dari cognitionem termini simplicis, aut necesse est, esse cogit.

cognitionem confusissimam & umbram potius cognitionis,
quam cognitionem. *)

*) *Etsi enim talem cognitionis umbram velis vocare intuitionem, tamen haec intuitio etiam non est vera cogitatio, sed admissio rei externe ad firmiores impressionem absque actuali reflexione sensus interni, & homini cum bestiis communis est. Ita in proverbio dicimus: Er siehet die Sache an, wie die Ruhe eint neu Thor. Item; Er horcht wie eine alte Sau / wenn sie &c.*

§. XXXI.

Quæstiones sunt duorum generum: an sit? & quid sit?
hoc est, an quid potentia sit, vel habeat potentiam aliquam, †)
& qualis *) sit potentia, vel qualēm habeat.

†) *Non, an quid sit sine potentia per dicta §. 27. *) In omni definitione pars essentialis est differentia. Differentia vero prædicatur in quale quid. Imo, quæ communiter dicuntur qualitates, saepius sunt essentie rerum, & adeo primario substantia.*

§. XXXII.

Cogitatio porro vel una est, vel plures: series plurium ratiocinatio seu meditatio dicitur, plures ratiocinationes ordine suo constant seu methodo.

§. XXXIII.

Qui ratiocinando plurium sensionum recordatur, dicitur excellere memoria, qui plures ratiocinationes de potentiarum convenientia apte conjungere scit, dicitur pollere ingenio, qui prompte differentias potentiarum investigat judicium habere egregium indigitatur.

§. XXXIV.

Pergo ad voluntatem. Dixi †), omnem voluntatem esse concupiscentiam in corde. Omnis concupiscentia amor est. Omnis amor est desiderium uniendi se cum re amata. Omne desiderium conatus *) est agendi. Dum vero voluntas conatus est cordis, differt a conatu, qui sentitur in aliis membris corporis, ut conatus ejiciendi excrements, conatus in ulcere.

†) *Supr. §. 15. & 17.**) *Conf. Hobbesii Leviath. c. 6.*

§. XXXV.

Sed talem conatum in corde suo & bestiæ sentiunt, quæ tamen voluntatem non habent. Hinc nondum sufficiens est definitio voluntatis. Evidem conatus bestiarum exerit se in locomotivam corporis, sed absque cogitatione. At conatus voluntatis non solum dirigit potentiam locomotivam corporis, sed & impellit intellectum ipsum, ut rem amatam valde consideret, & de mediis cogitet adipiscendi eam, eaque fruendi. Igitur †) voluntas est concupiscentia cordis semper conjuncta cum cogitatione intellectus. Hinc si considetur absque respectu ad potentiam cogitandi, dicitur appetitus sensitivus. *)

†) *Uti intellectus est sensio conjuncta cum cogitatione, ita voluntas concupiscentia cum cogitatione.* *) *Ex quo alias Philosophi faciunt ens realiter distinctum a voluntate. Huc pertinent omnes actiones hominum non cogitantium, quid faciant aut agant.*

§. XXXVI.

Propterea tamen voluntas non est ipsa cogitatio, sive in voluntate respicias ad ipsum conatum, sive ad cogitationes intellectus a conatu impulsas. Nam nec sensio †) conatus in corde ipse conatus est, non magis ac sensio doloris in ulcere pedis ipsum ulcus aut dolor est. Nec cogitatio impulsa a voluntate voluntas est, cum impellens & impulsum semper sint diversa.

†) *Contra Cartesianos & Philosophos Aristotelicos.*

§. XXXVII.

Interim ex dictis patet intellectus & voluntatis mutua relatio & cohærentia. Actiones intellectus quidem sape moventur sine voluntate. Sed voluntas semper movet intellectum.

*) *Nam voluntas quatenus ab appetitu sensitivo differt, nihil aliud est quam appetitus conjunctus cum cogitatione per dicta.*

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

§. XXXVIII.

Scilicet potentia^e humana vel moventur ab aliis potentia^es extra hominem, vel una potentia humana movet alteram.

§. XXXIX.

Potentia^e rerum extra hominem non solum movent †) facultas corporis humani v. g. locomotivam, concoctionem, generandi potentiam &c. sed & ipsas cogitationes, potissimum sensuales; imo ipsam quoque voluntatem seu appetitum hominis.

†) Sed diverso modo appropinquandi, ita, ut sapius intrinsecus affumi debeant, ut in operatione in concoctionem, generandi potentiam &c.

§. XL.

Unde falsum est commune dicterium, quod voluntas non possit cogi. Uti enim de coactione visibili rei invisibilis stulta foret quaestio, ita per virtutes invisibilis potentiarum externalium concupiscentias hominum, adeoque voluntatem vel reprimi, vel irritari, i. e. vel impediri, vel ad agendum impelli, quotidiana docet experientia. *)

*) Scriptum dicit de Simione: Da wurde seine Seele matt.
Unde videtur ortum proverbium: Coacta voluntas etiam est voluntas.

§. XLI.

Potentia^e corporis humani omnes incitare possunt intellectum, ipse intellectus contra non imperat nec locomotivae nec concoctioni, nec generandi potentia^e, et si moderatio aut intemperies cogitationum vel prodesse, vel nocere possit iis facultatibus. Sed ipsa quidem moderatio aut intemperies non ab ipso intellectu, sed aliunde provenit. †)

†) Scilicet a voluntate & affectu.

§. XLII.

Et falsum adeo est ac sensui communi adversum, dum communiter *) doceri solet, cogitationem, quod velim movere v. g. manum aut pedem, habere concomitantem locomotivam, ab eaque produci. Uti enim experientia testatur,
quod

quod cogitatio talis possit esse absque †) locomotiva, ita locomotiva in bestiis & in ipso homine ostendit, quod in illis semper, in hoc saepe locomotiva operetur absque cogitatione. **)

*) Potissimum a Cartesianis. †) Quod si distinguas inter cogitationem seriam & non seriam, habebbo, quod volo. Seria enim est, que est conjuncta cum voluntate. Ergo a voluntate procedit locomotiva, aut accurius loquendo ab appetitu, non a cogitatione sola. **) Si v.g. in profundis meditationibus surgimus, & ambulamus, aut si edimus &c.

§. XLIII.

In concoctionem & generandi potentiam nullum est imperium voluntatis, quin potius ipsa haec potentiae saepe variis modis voluntatem movent. At quod locomotivam attinet, si modo corpus hominis sit sanum ac integrum, ea semper, uti & in bestiis, subest conatui cordis, etsi non semper proveniat a voluntate humana, hoc est, etsi non semper conjuncta sit cum cogitatione, quod membra mea moveam aut movere velim. Si tamen movere volo, hoc est, si impulsus cordis cum cogitatione conjunctus adsit, moveo etiam, & si volo quiescere a motu, hoc est si impulsus cordis adsit ad quietendum, conjunctus cum cogitatione quiesco.

§. XLIV.

Non tamen plane dependet locomotiva a voluntate, ut suas vires ab illa accipiat, sed est potentia diversa ac separata a voluntate, & limites suos, uti reliqua potentiae in mundo omnes a virtute & potentia omnium prima & æterna, id est, Deo acceptit. Inde non potest homo in aere progredi, non potest pedem sinistrorum movere & simul manum dextrorum, non potest in casu lapsum dirigere secundum suum beneplacitum &c. †)

†) Non potest etiam voluntas sanare locomotivam morbo podagrico vel similiter impeditam.

§. XLV.

Porro intellectus habet quidem peculiares vires, ut citra voluntatem possit affirmare & negare, imo in ipsis sensiones *) abstractas.

abstractas a locomotiva sensoriis conjuncta nihil potest voluntas hominis. †) Habent & meditationes intellectus purissimas motuum durationes & fines a voluntate nequaquam dependentes. Unde potest quidem voluntas motum cogitationum incitare, si tamen semel in nimium motum venerint, non potest voluntas hominis quietem earum imperare, unde saepe non possumus dormire, et si velimus, quia voluntas non potest impedire motum cogitationum. **)

*) *Id est, non potest voluntas efficere, ut quis apertis oculis non videat, & apertis auribus non audiat &c.* †) Addideram in prima editione: quoties agitur de consideratione rerum, quae voluntatem nullo modo afficiunt. Sed in novioribus editionibus ista verba iterum expunxi, quia etiam quando agitur de rebus, quae voluntatem afficiunt, non semper multa potest voluntas, juxta proverbium: *Qui quæ vult dicit, quæ non vult audit.* **) *Est igitur, uti ventus Cæcias.*

§. XLVI.

At in affirmatione boni vel mali, quod nos ipsos afficit, (nam si respiciat alios *) & hic intellectus liberior est,) in attenta consideratione hujus boni, in meditatione de mediis ad bonum consequendum aptis semper intellectus impulsu voluntatis subest, tantum abest, ut voluntas in appetendo bono vel fugiendo malo dirigatur ab intellectu. Non enim quia aliquid bonum videtur intellectui, voluntas id appetit, sed ideo quia voluntas quid appetit, id bonum videtur esse intellectui. Sive enim sensiones consideres, sive meditationes, veritas asserti apparebit. Quod voluntati gratum est, id intellectus non potest aliter sensu percipere, atque sub imagine grati, & quod non gratum est, sub imagine non grati. Quod vero ut gratum sentitur, sentitur ut bonum, quod ut non gratum, sentitur ut malum. Ergo cum voluntas præjudicium faciat intellectui, eumque impellat ad attentam considerationem rei, & ad meditandum de mediis ad acquirendam rem

F

illam



illam aptis, non poterit non intellectus etiam in ipsa meditacione mediorum rem cupitam pro bono habere.

*) Vide infra §. 92.

§. XLVII.

Quod vero communiter asseritur, intellectum in materia boni vel mali dirigere voluntatem, partim factum est, quod natura hominis fuerit in libris aliorum quæsita, non in sensu cuiusque proprio; partim quod ita facultates intellectus & voluntatis non fuerint recte distinctæ; partim denique quod Doctores Scholastici ob interesse domesticum fontes omnis felicitatis & infortunii posuerint in intellectu, †) & inde plus quam aniles fabulas de processu actionum humanarum praescripserint, mancipiis suis in Academiis ut articulos fidei inculcatas.

†) Salutem enim æternam promiserunt iis, qui suos conceptus pro veris habebant, damnationem minati sunt iis, qui vel latum unguem ab ipsis recedebant.

§. XLVIII.

Habent igitur *) & intellectus & voluntas suas actiones & passiones. †)

*) Propter §. 38. seq. †) Contra Cartesium, qui passiones animi intellectui, actiones voluntati adscribit.

§. XLIX.

Intellectus agere dicitur, quando impellitur a voluntate ad meditandum, pati, quando movetur ab aliis rebus præter voluntatem ad sentiendum. Igitur accurate loquendo, intellectus utrobique patitur, nunquam primo movet.

L.

Voluntas patitur ab aliis rebus ipsam excitantibus, †) non tamen ab intellectu, *) agit in locomotivam aliorum membrorum, etiam in ipsum cerebrum, i. e. in locomotivam intellectus.

†) Nimis perensiones. *) Primario. Sed tamen voluntas utitur intellectu sepius, tanquam instrumento excitandi affectus per cogitationes attentas. Vid, notata ad §. 66.

§. LI.

§. LI.

Intellectus agit in cerebro, non extra illud, itaque omnipis actio intellectus est immanens. *) Loqui enim, id est, cum altero communicare actiones intellectus, est actio corporis, velle loqui est actio voluntatis, non intellectus.

*) Dicendum hic aliquid de quatuor principiis vulgaribus actionum humanarum: conscientia, voluntate, consultatione, elezione.

§. LII.

Voluntas quoties agit, agit extra cor, †) ergo falsum est, voluntatis actiones quasdam esse immanentes, cum omnes sint transeuntes. *)

†) Quia est conatus. *) Addideram in prima editione: nisi voce actionis immanentis intelligas internas actiones, quod tamen non accurate dictum est, cum omnis quidem actio immanens sit interna, sed non omnis actio interna sit immanens. Hac verba tamen postea omisi, quia actio interna & immanens hic sunt synonyma.

§. LIII.

Quod vero electio †) communiter habetur pro actione voluntatis immanente, inde venit, quod putatum fuit erronee & contra sensum communem, ac si voluntas haberet libertatem internam, qua de re paulo post videbimus. *)

†) Electio est illa actio interna primaria, ob quam doctrina de actionibus immanentibus voluntatis formata fuit! Si per electionem intelligas cogitationem, hoc medium esse optimum, pertinet ad intellectum. *) Nempe §. 99. 118. seq. Confer. item §. 64. 65. & 66.

§. LIV.

Intellectus itaque nunquam est facultas primo movens †) alias facultates, at voluntas est primum agens animæ humanae, quia movet intellectum.

†) Obs. §. 41. 45. 47. *) Non animæ simpliciter, sed quatenus humana est.

§. LV.

Actiones a voluntate imperatæ dicuntur voluntariæ, item morales, (quia plures actiones voluntariæ conformes, mores appellantur) item spontaneæ; actiones reliquæ vocantur non voluntariæ, item necessariæ vel etiam coactæ, († item physicae.)

§. LVI.

Ipsa tamen voluntas non est potentia voluntaria, alias enim daretur voluntas voluntatis, neque adeo spontanea, neque moralis; sed & ipsa in se naturalis potentia hominis est & necessaria, & non voluntaria, dicitur tamen voluntas potentia moralis, quia est fons omnis moralitatis. *)

*) Ergo non respectu originis, sed respectu effectus.

§. LVII.

Natura igitur hominis moralis est complexus potentiarum volendi cum potentiarum voluntati subjectis.

§. LVIII.

Unde natura hominis moralis non recte opponitur naturæ hominis physicæ, neque simpliciter etiam & absolute naturæ hominis rationali aut intellectuali. †)

†) Quia docui, voluntatem, quatalem, nunquam esse sine cognitione intellectus. Conf. §. 61.

§. LIX.

Natura enim hominis physica est vox inconcinna, cum idem denotet, ac si dicas natura naturalis. Nec juvabit, si loco excusationis afferas naturam physicam dici, de qua tractatur in Physica. Nam & natura moralis ad Physicam suo modo pertinet, quia dependet & impellitur a voluntate, cuius tractatio ad Physicam pertinet.

§. LX.

Igitur patet, moralia non posse intelligi sine naturalibus, quia sunt horum conclusiones, & adeo Philosophiam moralis esse partem Physices specialem.

§. LXI.

At natura hominis rationalis certo respectu *) opponitur

tur morali, quatenus cogitationes hominis non dependent a voluntate, certo respectu ad moralem pertinet, quatenus dirigitur a voluntate.

*) Conf. §. 58.

§. LXII.

Ratio igitur humana est prædicatum solius intellectus non voluntatis, i. e. voluntas hominis ipsa non est rationalis, et si communiter ita dicatur, aut quia est primum movens animæ humanæ, homo vero dicitur animal rationale, aut quia appetitus bestiarum est absque ratione, voluntas vero humana, ut diximus, semper cum ratione conjuncta.

§. LXIII.

Actiones vero morales dicuntur vel rationales, quatenus convenient cum ratione hominis a voluntate non impulsa, vel irrationales, quatenus repugnant eidem, et si convenient cum intellectu a voluntate directo & paciente, de quo pluribus infra.

§. LXIV.

Libere enim judicat intellectus de rerum natura etiam de bono & malo quoties a voluntate non impellitur. Servit voluntati, quatenus ab ea impellitur.

§. LXV.

Habet igitur intellectus & suam libertatem & suam servitutem, utramque non intrinsecam †) sed extrinsecam intuitu voluntatis. Intrinsece enim nec libera est nec serviens, sed potentia necessaria omni electione carentes.

†) Conf. §. 49.

§. LXVI.

Habet & voluntas suam libertatem & servitutem, sed alio respectu. Libera est semper intuitu intellectus, quia ab hoc nunquam movetur. *) Ergo libertas hæc iterum est extrinseca, intrinsece vero nullam libertatem i. e. nullam electionem (* liberam & indifferentem) habet. †)

*) Id est initium motus non sit ab intellectu, Nutritur tamen. Id est, si affectus cogitationes impulerit ad considerandam attente

rem cupidam, ipsæ hæ cogitationes nutriunt affectus ipsius durationem. †) Dn. Coccejus disp. de dolo, culpa &c. §. 2. seq. contra Cartesium disputat, quod doceat hominem libere agere, non necessario: necessitatem enim viciose libertati opponi, cum Deus agat & necessario & liberrime. Ergo libertatem non consistere in indifferentia actuum ad contradictria, sed in eo, ut quæ quis agit, cum assensu pleno & complacentia agat, etiam si aliter agere non possit, ut si quis in Belgum navigare volens vehementia venti eo feratur. Propter hanc complacentiam libere agere hominem & mereri laudes vel pœnas. Igitur Philosophos tum veteres tum neotericos errare, quod hominum meritum & demeritum asserunt ex eo, quod cum electione agant, quoque eo ipso hominem a bruis distinguant, quasi bruta non agant cum electione, & adeo non propter finem, cum tamen bruta agant cum complacentia & aversatione, quæ sint electionis principia. Idem in dissert. de jure pœnitendi in contractibus Sect. I. §. 1. seq. hoc repetit, & docet, Philosophos communiter libertatem & voluntatem confusisse, atque adhuc ignomini, quid sit voluntas: Item dari voluntatem coaglam &c.

§. LXVII.

Servit aliis potentiis tam extra quam intra *) hominem, quatenus hæ cupidini gratæ sunt, eamque irritant & inclinant. Dum autem non semper intelligitur, quod voluntas agat irritata ab ejusmodi potentiis, tum & hoc intuitu voluntas dicitur †) libera, sed rursus libertate extrinseca, non intrinseca.

*) V.g. potentiae generandi, concoquendi &c. †) Dicitur, sed non est. Nam voluntas hominis semper irritatur, etiam si id fiat insensibiliter. Et qui hæc agnoscit, nec putat, se agere libere, & absque irritatione, is jam desit despere.

§. LXVIII.

Simul vero patet, spontaneum & liberum intrinsecè toto celo differre. Spontanea enim actio est, quæ a voluntate est impe-

imperata, adeoque voluntati servit, dicitur vero libera eo respectu, quo ipsa voluntas.

§. LXIX.

Spontanea vero seu moralis seu voluntaria actio in specie humana dicitur, quia provenit a voluntate, tanquam primo principio movente animæ humanæ, adeoque homo, qualis, ejus autor vocatur.

§. LXX.

Atque eam ob causam imputatur etiam homini, quod spontanea fit, non quod libera. Imputare enim est aliquem autorem dicere, & actiones etiam hominum, qui cupiditatibus suis serviunt, ipsis imputantur.

§. LXXI.

Quia vero voluntatem diximus semper coniunctam habere cogitationem ideo ad actiones spontaneas communiter requiritur etiam intellectus. *)

*) Sed quod non rectè hoc fiat, docui infra cap. 2. n. 105. seq.

§. LXXII.

Non igitur imputantur homini primi motus seu conatus ipsius voluntatis, quia voluntas ipsa non est spontanea, non sensio, non concordio, non potentia generandi naturalis, non actiones aliorum hominum, nisi voluntatis directioni, i. e. arbitrio humano subsint, sed sola potentia locomotiva proprii corporis (etiam cerebri) & alieni corporis, quatenus a voluntate mea fuere directa. †)

†) Ergo non ventus & ignis per se, nisi quatenus ignis est admotus ab homine. Qui ventum imputant, supponunt, quamvis erronee, quod sagae vel magi possint conurbationibus excutire ventum.

§. LXXIII.

Ceterum cum imputatio proprie fiat ab alio, eaque peculiares effectus morales producat, ulterior de imputatione tractatio adhuc seponenda est, †) donec naturam voluntatis ipsius distinctius consideraverimus.

†) Ad cap. ult. lib. 1. n. 22. seq.

§. LXXIV.

§. LXXIV.

Potentiæ omnes *) in hoc universo ita comparatæ sunt, ut una aliam adjuvet, aliam destruat. Priori modo fit earum unio, neque adeo semper interest, an utraque potentia unita sit æqualium virium an inæqualium. Posteriori modo oritur pugna inter diversas potentias, in hac vero pugna potentior facultas semper †) vincit minus potentem.

*) Hæc tenus considerata fuit voluntas humana in relatione ad alias potentias humanas, præcipue ad intellectum. Nunc ostendenda differentia voluntatis a potentis aliorum corporum, maxime bestiarum: Nunc ostendendum fundamentum conceptus de bono & malo: quia voluntas semper aliquid appetit sub specie boni, cum tamen id reveri malum sepius sit. †) E.g. flamma & aqua. Dico semper. Nam v.g. aer moderatus nutrit flamam & auget, ventus nimius extinguit.

§. LXXV.

Porro nulla est potentia in hoc universo, excepta potentia prima & æterna, quæ non ad sui durationem & subsistentiam opus habeat adjumento alterius potentiaz, & nulla etiam est potentia, excepta iterum potentia prima, quæ non possit destrui ab alia potentia.

§. LXXVI.

Uti vero nullum corpus potest subsistere sine conservacione potentiarum suarum; ita bonum dicitur, quod potentias corporis alicujus conservat, malum contra, quod potentias corporis cujusque destruit, quia destructis potentias destruunt ipsum corpus, conservatis potentias conservatur.

§. LXXVII.

Plures vero potentiaz unius corporis se invicem mutuo adjuvant, & communi quasi conspiratione potentias adversis resistunt. Adeoque in corporibus regulariter conatus deprehenditur, bonum corporis promovendi & malum ejus avertendi, qui in relatione ad alia corpora sympathia & antipathia dici solet.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Unio potentiarum cum corpore vita dicitur, solutio eorum mors; et si usus scholarum hac voce utatur strictius corporibus post plantas & arbores vitam denegans. *)

*) Cartesius vero vitam definit formam externam corporis organici.

§. LXXIX.

Vita durante, corporis partes, quæ sunt sedes potentiarum, & ipsæ manent unitæ. Morte dissolvuntur etiam particuliæ corporis & in pulverem rediguntur, potentiaæ vero avolant ad potentias separatas, ut non appareat, ubi præcise operentur, et si certum sit, eas multo minus esse redactas in nihilum, ac ipsas corporis partes.

§. LXXX.

Corpus †) itaque mortale est, potentiaæ immortales sunt. *)

†) Imo accurate loquendo nec corpus mortale est, sed homo est mortalis. Mors enim est solutio animæ a corpore, neque materia corporis redigitur in nihilum. *) Mors enim solvit saltem potentias a corpore, non extinguit eas.

§. LXXXI.

Vita vero cum sit fundamentum omnium bonorum †) reliquorum corporis, deprehenditur natura corporis regulatiter *) ita esse comparata, ut nulla ejus potentia sit, quæ ejus destructionem appetat, quin potius omnium corporum potentiaæ conspirant ad mortem corporis impediendam.

†) Per §. 78. *) Proper exceptionem §. 83.

§. LXXXII.

Ita & appetitus bestiarum sensitivus, voluntati humanæ maxime affinis, in omnibus, quarum potentias notas habemus, bestiis, & prosequitur bonum & aversatur malum. †)

†) Et quidem bonum & malum verum, nisi seducantur ab homine.

§. LXXXIII.

At voluntas humana id quidem cum appetitu bestiarum
G commu-

commune habet, quod vitam amet, mortem aversetur, *) adeoque cupidine confusa & generali vitam amet, mortem metuat, id est, quæ immediate mortem operantur, horreat, †) & tum omnia media appetat vitam conservandi, sed in eo tamen a potentiis aliorum corporum & ab appetitu bestiarum differt, quod multa, quæ destructionem vitæ pedetentim promovent, appetat, multa, quæ vitæ conversationem promovent, aversetur. **)

*) Hinc etiam illi, qui præ nimiis cupiditatibus vindicata, vel a moris illiciti videntur mortem contemnere, cessant agere, si presentissimum & inevitabile alias sit moris periculum. †) Non tamen propterea mors dicenda erat omnium terribilium terribilissimum. **) Ita voluptuari cibum ac potum & rem veneram appetunt, vitam temperantem aversantur: ambitiosi labores nimios & pericula appetunt, (unde tritum illud: Aliis inserviendo consumor,) labores medios & non periculosos contemnunt. Avarus similiter, sed cum diversa intentione, & modo mercator it per syrtes, per saxa &c.

§. LXXXIV.

Cum vero nulla potentia amet sibi contrariam, necesse est, ut ea, quæ a voluntate appetuntur, conservent & augeant potentiam voluntatis, †) adeoque sint hoc intuitu bona, quæ fugiuntur, voluntati repugnant, *) adeoque sint hoc intuitu mala.

†) Ita v. g. cibus delicatus & res venerea auget & conservat voluptatem, (non potentiam bibendi, generandi,) laus, honor, & labores ambitionem, multæ opes avaritiam. *) Sobrietas voluptati, humilitas ambitioni, liberalitas avaritiae.

§. LXXXV.

Igitur †) peculiare hoc est in homine, quod habeat potentiam primariam, *) cuius bona sæpe repugnant bono totius.

†) Per §. 83. 84.

*) Id est voluntatem,

§. LXXXVI.

§. LXXXVI.

Bonum vero totius semper præferendum bono partis,
quia destructo toto etiam partes destruuntur.

§. LXXXVII.

Bonum igitur totius est verum bonum, bonum partis to-
tum destruens est verum malum, seu bonum apparens.

§. LXXXVIII.

Jam autem intelligitur, quod pro diversa ex dictis facile
facienda interpretatione utrumque verum sit, & quod volun-
tas hominis semper bonum appetat, †) & quod sæpe appe-
tat malum ; *) tum quod malum semper fugiat, & quod
bonum sæpe fugiat.

†) Per §. 84. *) Per §. 83. & 86.

§. LXXXIX.

Conatus voluntatis ad rem sibi convenientem dicitur cu-
piditas, desiderium, amor, spes; conatus ad rem sibi adver-
sam (quam ex priore, non priorem ex posteriori origi, demon-
stravimus alibi †) fuga, horror, odium, metus. Utrinque
horum communis nomine affectus, quia sunt affectiones pri-
mariæ potentiarum animi humani, dicuntur etiam passiones a-
nimi, quia a rebus extrinsecis animo gratis vel non gratis
regulariter ad motum excitantur, et si jam supra *) sit ostend-
sum, quod intuitu mentis sint actiones, cum vi propria se
moveant, neque ab altera potentia animæ humanæ, intel-
lectu nempe excitentur.

†) In der Ausübung der Sitten-Lehre c. 4, §. 8. seq.

*) Supra §. 50.

§. XC.

Ratio vero ipsa, seu intellectus hominis, quando libera
est, †) i. e. a voluntate non movetur, & ita cognoscit diffe-
rentiam inter bonum verum & apparens, recta dicitur: At
ubi a voluntate impulsa bonum apparens pro vero habet,
dicitur ratio corrupta.

†) Conf. §. 64.

§. XCI.

Cum tamen quidam affectus ita subtiliter moveant sanguinem in corde, ut vix ab eo, qui maxime attentus est, motus affectuum horum sentiri possit, *) difficulter etiam s^ep^e cognoscitur discrimen rationis recte a corrupta. Etsi enim omnes affectus habeant sua intervalla, adeoque nullum sit dubium, quin tempore intervalli ratio libera recte judicare possit de bono & malo, tamdiu tamen ratio hominis non poterit tuto sibi met ipsi fidere, quamdiu non certa est de illo intervallo.

*) *Conf. cap. 3. der Ausübung n. 68. seq. Exempli loco maxime esse potest invidia, & plerique affectus avaritiam concomitant. Adde consuetudinem affectum d. l. n. 69.*

§. XCII.

Sentit tamen quilibet homo, quod secundum commune proverbium (foris lynces, domit alpæ) ea sit dispositio intellectus humani, ut in aliorum actionibus judicandis, de bonitate & malitia earum accuratius judicet, quam de propriis. Neque ratio longius est querenda. Nam uti actiones pleraque propriæ voluntariæ sunt, ita judicium circa plerasque est corruptum. At actiones alienæ regulariter non dependent a voluntate nostra, ergo intellectus etiam hic rectitudinem suam retinere potest.

§. XCIII.

Sed nec sic tamen omnia in tuto sunt. S^ep^e enim accidit, ut actiones aliorum a nobis dirigantur, & eo intuitu nostræ fiant, s^ep^e aliorum actiones probamus, quia habent convenientiam cum nostris, †) eas vero improbamus, quæ a nostris discrepant; s^ep^e amamus, aut odio prosequimur alios, de quorum actionibus judicamus; odium vero istud aut amor, ita s^ep^e altas radices egit in animo nostro, ita subtiliter moveat intellectum nostrum, ut non solum ignoremus, eum ab affectu esse inquinatum, sed & bona fide nobis persuadeamus, quod ab omni affectu simus vacui.

†) *Ita in lectione historiae, descriptionis belti, comœdia, tragœdia, pro*

pro diversitate affectuum in partes imus. Einer hält es mit dieser Person / ein anderer mit einer andern.

§. XCIV.

Ergo disciplina morali, i. e. tali doctrina, quæ rationis rectæ & corruptæ *) criteria evidentia ponat, opus est, qua utique non esset opus, si ratio hominis, uti communiter statuunt, illa rectitudine polleret, ut absque difficultate de verò bono & malo judicare posset. Alia enim corpora tali disciplina non habent opus, quia potentia eorum non sunt corruptæ. †)

*) *Logica docet criteria veri & falsi: Philosophia moralis criteria veri boni & apparentis & sic per dicta §. 90. rationis recte & corruptæ.* †) *Unde apparet miseria naturæ humanae pœ bestiæ.*

§. XCV.

Sed posito etiam, quod in aliorum actionibus ubique verum bonum & apparens exactissime discernere homo possit, quid prôderit ipsi, si non & hanc scientiam ad mores proprios applicet. *) Igitur & disciplina morali opus est, ut ostendat, quomodo homo doctrinam de vero bono in usum ducere possit, qua iterum non opus est in aliis corporibus, quia eorum potentia id sponte faciunt.

*) *Non poterit vero applicare, quamdiu de actionibus propriis judicium est corruptum, ita ut non agnoscat, se egrotare. Inde pleraque cause dissidiorum, quod quilibet velit emendare alios, se ipsum vero non putet opus habere emendatione.*

§. XCVI.

Sed hic vel maxime prudentia opus est, cum communes & ubique ferme receptæ doctrinæ duplarem †) errorem fundamenti loco ponant, quod scil. intellectus seu ratio 1. debat normam præscribere voluntati, voluntas vero dictatum rationis 2. secundum libertatem suam, qua polleat, sequi. Qui tamen error uterque est contra sensum cujusque communem, si modo naturam animæ humanæ a præjudiciis vacuus consideret.

^{f)} His addendus est tertius error non minus capitalis Pseudomysticorum, rationem esse plane abiciendam.

§. XCVII.

Nam*) si voluntas sequi deberet intellectum, necesse esset, ut intellectus semper esset rectus. Atqui fatentur, dari etiam intellectum corruptum. Hunc ergo voluntas non debet sequi. At voluntas non habet potentiam judicandi, f) uter intellectus sit rectus vel corruptus, cum omne iudicium pertineat ad ipsum intellectum. Ergo voluntas nescit, quem sequi debeat; Ergo si, dum id nescit, tamen sequitur, imprudenter facit.

*) Contra primum errorem. f) Ut hanc objectionem evitaree Cartesius, iudicium voluntati tribuit, & ita actiones intellectus & voluntatis confundit.

§. XCVIII.

Porro cum supra monstraverimus, intellectum in cognitione boni vel mali corrumpi a voluntate ipsa, adeoque hujus arbitrio in moralibus subjacere, & nullum imperium in voluntatem exercere, (quod & ipsi fatentur, dum voluntatem regem faciunt, intellectum vero consiliarium,) sequitur iterum, quod si voluntas intellectum sequatur, emendatio omnis frustra speretur. Quomodo enim Rex emendari posset a Consiliario, cuius consilia secundum beneplacitum Regis ei in omnibus sunt obnoxia,

§. XCIX.

Denique f) si nullam libertatem *) eligendi habet voluntas, haud dubie tota corruit disciplina moralis scholastica. Quod vero voluntas non habeat libertatem eligendi, quam ipsi tribuunt, clarius patebit, si prius ostenderimus fontem erroris communis, ex neglectu intimioris considerationis ipsius voluntatis humanæ ortum, dum nempe putarunt, unam esse voluntatem humanam.

f) Contra errorem secundum. *) Nempe intrinsecam & indifferentiam.

§. CI.

§. C.

Una eademque potentia primaria est in corporibus singulis ejusdem generis vel speciei, actiones eorum sive internas sive externas uniformiter dirigens, ut adeo, si unius corporis †) singularis naturam noveris, tuto possis inferre de natura & potentia alterius.

†) *V.g. auri, cupri, pomi, pyri &c.*

§. CI.

Eadem observatio etiam in corporibus homini proximis, bestiis nempe, procedit. Unius vulpis, simiae, canis &c. actiones naturales si observaveris, habes scientiam de omnibus animalibus, eadem figura præditis, vel eadem signa externa potentiarum præ se ferentibus.

§. CII.

Hominis vero diversissima ratio est. Singuli homines habent voluntates in paucis convenientes, in multis diversissimas & sæpe pugnantes & oppositas, ita ut, quod unus vult, alter nolit, aut contrarium velit. *)

*) Nulla dantur collegia, ubi collegæ in omnibus sint unanimes, etiam ubi duo vel tres colligæ sunt. Inde necesse fuit, medium concludendi invenire per pluralitatem votorum. Inde acute Autor des Reinicke Suchses non sifit aulam, ubi leones cum leonibus, vulpes cum vulpibus deliberant aut ratiocinantur, sed ubi animalia specie diversa se invicem decipiunt vel adjurant, unde illius fabulæ inventio amœrior lectu est quam des Groschmeuselers / quia proprius ad diversitatem humanae nature accedit.

§. CIII.

In tantum ut nullus homo reperiatur, cujus voluntas conspiret in omnibus cum voluntate alterius.

§. CIV.

Sed & nemo reperitur, cujus voluntas a natura repugnet in omnibus voluntati alterius, †)

†) *Contra principium Hobbesi de statu naturali belli omnium contra omnes. Idem velle & idem nolle tamen ambigue dicitur.*

Notus

Notus jocus fabule, quod maritus & uxor, post multas rixas precedentibus sine verberibus, tandem demum propter idem velle & nolle, ad verbera mutua pervenerint. Scilicet uterque tempore incendiū primus volebat exire ex edibus &c.

§. CV.

Quin & singuli homines non volunt perpetuo, quod semel volunt, sed s̄pē volunt diversa, s̄pē opposita & pugnatio, ita ut, quod jam volunt, alio tempore nolint, aut velint ejus contrarium, imo uno eodemque momento temporis sentiunt intra se anxietatem pugnantium affectuum, eos hinc inde rapientium, ut diu nesciant, quid velint.

§. CVI.

*Uti vero potentias operationum suarum signa corporibus inprimere supra *) notavimus; ita & veritas horum assertorum ex signis evidenter & in sensus incurrentibus patet.*

*) *Supra §. 8. 13.*

§. CVII.

Etenim homines non solum sentiunt ex ipsis actionibus voluntariis aliorum hominum, i. e. ex motionibus loco motivata voluntate imperatis. †) quānam res ipsis placeant, vel displiceant, sed & ipsarum facultatum, seu potentiarum adhuc intrinsecarum signa impressa sunt corporibus humanis.

†) *V. g. ex risu, lacrymis, vultu iracundo, amorem & desiderium indicante &c. ex fuga, sermone &c.*

§. CVIII.

*Signa vero illa vel sunt valde dubia, i. e. quā nec sensu nec ratione cognoscuntur, sed solum ex opinione aliorum hominum dependent, ut signa chiromantica & physiognomica. *) Vel sunt certa, i. e. quā partim ex sensu, partim ex ratione percipiuntur, ut signa faciei humanæ impressa, diversa tamen ab iis, quā communiter dicuntur physiognomica.*

*) *I. e. linea in facie, potissimum in fronte. Helineā quidem sensu cognoscuntur, quod sint linea ita vel ita formata, sed non cognoscuntur sensu, quod sint hujus vel illius rei signa.*

§. CIX.

§. CIX,

In eo enim homo a bestiis quam maxime differt, ut cum illæ, si congeneres sint, vultum habeant proportione membrorum ac figura & situ simillimum, homines contra habeant facies ita dissimiles, ut pro miraculo habeatur, si duorum hominum facies convenientiam omnino. Quinimo crediderim, nunquam talem duarum facierum convenientiam exstitisse, ut vel ex faciebus ipsis homines non potuerint dignosci a valde attentis & familiari conversatione illorum utentibus.

§. CX.

Habitus vero facierum humanarum ita passiones seu affectus eorum indicat, ut in quibusdam communis hominum sensu & que certo cognoscatur passio eorum dominans in animo latens, ac ex fumo certo cognoscitur ignis latens. †)

†) Non tamen confundendus ignis cum flamma. Non fabula von einem gewissen Landsmann / der bey rauchenden Wist wolte eine Toback-Pfeiffe anstecken/ abtens hoc canone; ubi fumus, ibi ignis.

§. CXI.

Ita vel ex oculis quorundam infallibiliter cognoscitur eorum libido, invidia, crudelitas, gulositas, versutia &c.

§. CXII.

Sunt iterum in facie hominis signa humanitatis, misericordia, modestia, benevolentia &c. Sed hæc non & que sunt infallibilia, sed ratiocinatione opus habent, quia homines etiam simulant & dissimulant affectus suos. *) Ratiocinatione vero opus est ad dijudicanda signa affectuum genuinorum & simulatorum.

*) Ita Socrates quo incundior erat, eo humanior videbatur.

§. CXIII.

Interim in antecessum notetur, signa affectuum virtutum sensibilia non fallere, bonorum s̄epe fallere. Ratio apparet ex sequentibns. †)

†) Scilicet quia dissimulare solemus vitia, & simulamus virtutes. Igitur vitia, que non obstante dissimulatione tamen in sensu incurrunt,

currunt, non fallunt. Loquor vero iterum de signis sensibilibus, non de chiromanticis & physiognomicis. Intuitu enim posteriorum facile contingere poterit, ut, quod de Socrate dicitur, homo philosophia se emendaverit, et si signa chiromantica non sint mutata. At signa, de quibus hic §. 112. loquor mutantur etiam aliquo modo, si mores mutantur.

§. CXIV.

Æque ratiocinatione aut certe attenta observatione plurimum sensionum opus est in cognoscendis facierum signis plerorumque hominum, in quibus non una aliqua passio præ reliquis dominatur, quia intellectus noster habet congenitas quidem notitias passionum singularium dominantium, non vero mixtarum.

§. CXV.

Interim nullum est dubium, & mixtarum passionum signa apparere in facie, eaque observationibus non ita multis sed attentis ita posse dignosci, ut rarissime fallant. Idque in tantum verum est. ut quotidie videamus multos homines sagaces vel ex primo adspectu aliorum hominum judicare egregie de ipsorum affectibus.

§. CXVI.

Sed & variantium affectuum in uno homine signa sunt evidenter. Neque enim modo spei & gaudii, modo metus & tristitia signa dat, quæ possunt esse variantes passiones unius voluntatis, sed & modo libidinis, modo avaritiae aut invidiae signa eminentia in facie ejus apparent, quæ sunt voluntates diversæ & pugnantes.

§. CXVII.

Videant igitur Scholastici, quomodo doctrinam suam defendeant, dum unanimiter docent, hominem esse speciem insimam, quia videlicet intellectum hominis fecerant potentiam primariam animæ humanæ. Nobis sufficiat, quod haec tenuis deduxerimus, & voluntatem esse primariam potentiam mentis, & homines omnes voluntatibus differre. De terminis non litigabimus, sive enim singulos homines dixeris

ris specie differre, sive specie convenire, per nos licebit: modo concesseris, hominem esse genus vel speciem plane singularem; cuius singula corpora habeant diversam intuitu voluntatum naturam.

*) Conf. cap. proœm. §. 23.

§. CXVIII.

Illi vero †) qui libertatem electionis omni voluntati humanae tribuunt, ex eo errore in hunc delapsi sunt, quod toti humano generi unam eandemque naturam tribuerint, & cum observaverint, quosdam homines singulos non ita difficulter i. e. voluntate sua parum repugnante omittere quasdam actiones, putarunt, & alios æque facile id facere posse, & nolle saltem liberrate sua uti. Porro cum unam voluntatem tribuerint etiam singulis hominibus, & tamen senserint, actiones hominum externas sœpe præcedere pugnam in animo internam, & tamen nulla facultas animæ possit repugnare cum se ipsa, vel (**simpliciter*) dixerunt, pugnare intellectum cum appetitu, vel (†*insuper*) tertium quiddam finixerunt; pugnare appetitum sensitivum cum intellectu, voluntatem vero hic esse tanquam tertiam quandam facultatem liberam & eligere posse, utrum appetitum velit sequi, utrum intellectum,

†) Connexionem quare in §. 99.

§. CXIX.

Quemadmodum vero ostensum est supra *) intellectum esse potentiam mere passivam intuitu voluntatis, eamque plane nullam habere efficaciam in voluntatem, etiamsi sibi reflecta videat meliora probetque, h. e. affirmet esse bona. Et quemadmodum ostendimus, †) appetitum sensitivum esse ipsius voluntatis particulam aut conceptum genericum; quemadmodum etiam ostensum est, appetitum bestiarum non destruere vitam earum, **) sed appetere verum bonum ††) ita ostendo eo, quod singuli homines habeant voluntatem non unam, sed oppositas; plane corruet tota fabula doctrinæ communis de natura voluntatis & libertatis ejusdem.

*) *Supra* §. 45. 46. 49. 90. †) *Supra* §. 35. **) §. 82.

††) *Adeoque appetitum sensitivum in se non esse irrationale.*

§. CXX.

Ante omnia tentandum, annon voluntates illas, quæ per hominum actiones externas indicantur, & quarum etiam singuli homines sibi sunt consciæ, possumus ad summa quædam genera referre. Nam quamdiu finibus ejusmodi genera non circumscribuntur, apparent ut infinita. Infinitorum autem non datur disciplina s. scientia.

§. CXXI.

Conveniunt homines omnes *) in eo, quod (nisi ad contrarium volendum excitentur a passionibus oppositis valde irritatis) velint vivere diutissime, &, si possibile sit, in æternum, adeoque omnes horreant mortem.

*) *Sive sapientes, sive stulti, sive voluptuosi, sive avari, sive ambitionis.*

§. CXXII.

Conveniunt in eo etiam, quod vitam velint transfigere in summa felicitate.

§. CXXIII.

Conveniunt in eo, quod omnes fugiant vitam infeliciem. †)

†) *Nam & stulti propter infelicitatem saltem imaginariam se vita privant, aut mortem sibi accelerant.*

§. CXXIV.

Conveniunt in eo, quod fugiant omnes vitam dolorificam, appetant contra vitam jucundam.

§. CXXV.

In eo saltem est differentia primaria, quod non omnes habeant eundem jucunditatis & doloris sensum.

§. CXXVI.

Conveniunt omnes in eo, quod omnes appetant cibum, potum & in adulta ætate coitum cum diverso sexu, quod velint habere aliquid proprii, quod velint extrinsecam suam libertatem conservare, & non æstimari infra alios homines,

adœ-

adeoque omnes fugiant dolores a fame, siti, prurigine, ab extrema paupertate, & denique ab extrema ignominia & servitute oriundos.

§. CXXVII.

Sed in eo differunt, quod alii jucunditatem adeoque suam felicitatem querant in delectatione cibi ac potus & rei venereæ, uno verbo in voluptate corporis; adeoque vel minimam privationem hujus delectationis, ut rem sibi adversam metuant ac fugiant. *)

*) Haic §. jungendum est cap. 9. der Ausübung der Sitten-Lehre.

§. CXXVIII.

Alii contra omnia volunt habere propria, ac jucunditatem & felicitatem suam ponunt in proprietate rerum, quæ dominii sunt capaces, & contra maxime dolent, si alii quid proprii habeant, †) aut quædam ex rebus propriis ipsis auferantur aut pereant. *)

†) Hi plane differunt a precedentibus. Nam voluptuosí gaudent, si alii similiter delectentur. *) Conf. cap. ii. der Ausübung.

§. CXXIX.

Denique alii summam felicitatem ac jucunditatem aestimant, si imperent aliis hominibus, & maximum dolorem arbitrantur, non solum si aliorum imperio subesse debeant, sed & si alii juxta eos libertatem suam externam tueri velint, ac ipsis nolint obedire. †)

†) Conf. cap. 10. der Ausübung.

§. CXXX.

Porro experientia & sensus communis docent, memoratas modo tres cupiditates, *) voluptatem, avaritiam & ambitionem dominari universo generi humano, & nullum esse hominem, qui non tribus hisce cupiditatibus regatur, sed diverso modo, cum nullus homo detur, in quo non sit mixtura diversa harum voluntatum.

*) Ad inveniendos hos tres affectus dominantes occasionem dedit

*Scriptura S. cum alias Scholastici septem vitia nominent, inclusa
in voce SHLIGIA.*

§. CXXXI.

In quibusdam enim hominibus aliqua ex his tribus cupiditatibus eminet præ reliquis duabus, easque sibi facile habet obnoxias, nisi potentissimis rerum externalium valde irritentur. In aliis passio dominans mixta est ex duabus harum trium cupiditatibus, quarum pugnam intra se sapientissime sentit homo, ita ut vix percipere possit, utra ex his duabus dominetur alteri, et si semper una dominetur, ac tertia iterum utrique ex dominantibus sit facile obnoxia, nisi irritetur extrinsecus. Aliis denique ita dominantur omnes tres passiones, ut quoniam vires omnium sunt prope pares, fere omni momento pugnam internam sentiant, & modo huc, modo illuc rapiantur, nisi una earum valde irritetur a potentissimis externis; aut siç irritetur, ut altera passio inde non sentiat damnum. †)

†) *Commentarii ad hunc §. loco erit cap. 12. & 13. der Auszübung.* Nota tamen, quod jam ea non sint attendenda, quae d. cap. 12. dicuntur de amore rationali, tanquam separatim existente & distincto realiter affectu a tribus dominantibus, propter dicta hoc loco cap. 3. n. 77. seq.

§. CXXXII.

Istas vero tres cupiditates non esse diversos motus sibi invicem naturaliter succedentes, directos a communi principio volendi, aut ab intellectus varia modificatione ortos, *) sic probatur. Intellectus in omnibus hominibus unus idemque est, nec potest adeo producere motus oppositos & pugnantes. Pugnantes enim actiones habent & diversa & pugnantia proxima principia seu potentias. Ut taceam, supra jam ostensum esse, quod intellectus plane non dirigat appetitum, sed in cognitione boni proprii ab ipso dirigatur.

*) *Hic disputo contra Dn. Buddeum, qui, cum ei placerent quidem nonnulla a me in doctrina morali inventa, quæ ipse cogitabat, utcunque cum Ethica scholastica combinari posse, sed facile tamen videret, doctrinam de pluribus voluntatibus unius hominis*

CHM

cum multis systematibus Scholastico-Theologicis non facile combinari posse, peculiari disputatione defendere voluit, unam esse singulorum hominum voluntatem, & istas tres cupiditates esse saltem diversos motus sibi invicem naturaliter succedentes directos a communī principio volendi, aut ab intellectus varia modificatione ortos. Assertiones istas gratis afferri probo hic & in §§. sequentibus ex observationibus in sensu cuiuslibet hominis sanx mentis incidentibus. Optarem, ut vir Clarissimus ipse operam dedisset inveniendi veritatem, & inquirendi in naturam voluntatis, & abstinuissest a descriptione doctrinarum variarum, non coherentium, & s̄pē sibi contradictientium, harumque parum felici combinatione vel conciliatione. At cum alia omnia sibi proposuerit, aliter fieri non potuit, quam ut plurimis ejus libelli repleti fuerint contradictionibus. Ut hoc loco rem unico saltem exemplo declarem, in prima editione Ethices sue hanc communem Scholasticę philosophię doctrinam secutus sequentem inter intellectum & voluntatem posuerat differentiam cap. 2. §. 30. usque ad 35. p. 23. seqq. Interim inter intellectum & voluntatem discrimen intercedit ratione modi operandi. Intellectus enim est potentia necessaria, ut in scholis loqui amant, quæ positis omnibus ad intelligendum requisitis, non potest non intelligere, h. e. percipere, judicare, ratiocinari. Ast a voluntate homo habet, tum quod sponte agat, i. e. ut non per intrinsecam aliquam necessitatem ad agendum determinetur, sed actionis sua ipse auctor sit: tum quod libere agat, i. e. ut uno objecto proposito, possit agere & non agere, idemque eligere vel respuere, aut pluribus objectis propositis, unum eligere, cetera respuere. Certis tamen limitibus hæc libertas est circumscribenda. Namque primo divinas literas edoctis certum & exploratum est, in rebus, spiritualibus nulla plane libertate voluntatem nostram gaudere. Quin & ad morales quod attinet actiones externas, ab internis animi motibus sedulo discernendas esse arbitror. In hisce enim hominem libertate voluntate

voluntatis semper gaudere, cum experientia repugnet,
 asserere non audeo. Nec enim ullum mortalium, di-
 vina non adjutum gratia serio, & ea de causa officiis
 suis functum esse, quod existimaverit, rationis præscripta
 sibi esse sequenda, plane mihi persuadeo. Cum vero ex-
 ternas actiones, si ad legem componantur, motus vero
 interni non conspirent, officiorum virtutumque (qua
 voce nunc ipsas actiones designo) nomine, ut suo loco
 demonstrabitur, indignæ sint, sequitur neminem mor-
 talium sibi relictum, officia præstare verasque virtutes
 edere posse. Externas vero actiones libere ab homine
 edi, omnino concedo. Hoc enim nisi in hominis po-
 situm esset potestate; nec præmiis nec pœnis locus es-
 set, frustra quoque leges civiles ferrentur, aut consulta-
 tio ulla deliberatione institueretur. Etsi enim jam tum in
 der Ausübung cap. 15. fere per integ. libertatem voluntatis
 negaveram, & insufficientiam doctrinæ vulgaris palpandam de-
 deram, ac simul docueram, virtutes, quæ philosophice dicuntur,
 veras virtutes non esse, quia tamen Dn. Buddeus intelligebat, po-
 sterius hoc assertum systematis Scholastico - Theologicis non
 contradicere, prius autem illis contrariari, hinc retinuit doctrinam
 meam de pseudovirtutibus philosophicis, alterum autem
 de libertate voluntatis spuria rejecit. Potissimum autem eum
 tum retinuit in semita doctrinæ scholasticae, quod non viderat,
 quomodo negata libertate voluntatis humane doctrina de imputa-
 tione sustineri posset. Docent hoc ex loco adducto verba ulti-
 ma. Etsi enim d. c. 15. §. 19. jam incepseram doctrinam de im-
 putatione conciliare cum hypothesi mea de spuria voluntatis li-
 bertate per distinctionem inter libertatem male & bene agendi;
 ipse tamen nunc vitio ipsi vertere nequeo, quod in hac distinc-
 tione non acquieverit. Jam vero cum loco hæc tenus descripto con-
 fer locum parallelum in nova editione elementorum Philosophie
 Prædictæ Part. I. cap. 2. Sect. 1. §. 30. seq. & miraberis, non quod
 plane alia & opposita priori sententia ibi inveniatur, (Nam in-
 genui Philosophi quotidie docendo discunt, atque emendant
 priora:.)

priora) sed quod illa mutatio non sit ingenua, non sincera, non erudiens lectores, sed confundens. Age videamus. Solet, inquit p. 23. seq. ceteroquin inter intellectum & voluntatem hoc discrimen constitui, quod a modo rationeque operandi desumptum est. Intellectum nimirum vocant potentiam necessariam, quæ positis omnibus ad intelligendum requisitis, non possit non intelligere, judicare, ratiocinari. At a voluntate, inquiunt, homo habet, tum quod sponte agat, i. e. ut non per internam aliquam necessitatem ad agendum determinetur, sed actionis sua ipse autor sit, tum, quod libere agat, i. e. ut uno obiecto proposito possit agere & non agere, idemque eligere vel respuere, aut pluribus obiectis propositis unum eligere, cetera respuere. Mihi voluntas, æque ac intellectus, omni prorsus libertate, eo quidem sensu, quo hactenus vox ista intelligitur, destitui videtur. Quam primum enim voluntas bonum aliquod aut ab intellectu aut ab imaginatione, vel ipsis etiam sensibus externis repræsentatum percipit, non potest non illud amare atque appetere, sicut malum, quod ut malum percepit, necessario fugit & aversatur. Quod si autem plura bona voluntati offerantur, quorum unum vehementius eam afficiat quam alterum, tum quidem omnino voluntas, misso altero, in illud fertur: ut corpus quoddam illi cedit, quod majori vi illud movendi atque impellendi gaudet. Atque de malis, quæ diversimode voluntatem afficiunt, eadem ratione censendum. Cumque in hominis arbitrio quodammodo positum sit, si forte voluntas in unam partem nimis propendet, objectorum quæ in contrariam eam flectant, representatione, illam utcunque retrahere & ad æquilibrium reducere, hactenus libertas quædam homini tribui potest. Id vero tantum intelligendum est de actionibus externis, quas ita temperare homo potest, ut licet necessario appetat, ad quæ per suas cupiditates fertur, poenarum tamen & præmio.

miorum cogitatione moveat voluntatem in alteram partem, & sic a criminum perpetratione eandem retrahat. Ex quo patet, quo modo, sublata licet omni libertate, leges nihilominus, pœnæ atque præmia locum habere queant. Multo itaque minus homo libertate gaudet virtuti veræ operandi, saltem quamdiu sibi relicta, nec divino lumine collustratus est. Rerum enim hujus seculi, & per naturæ corruptionem, & per consuetudinem etiam aliasve causas, dulcedine captus, ad eas amandas & appentendas ineluctabili impetu fertur, aut potius misere a rerum iistarum varietate, mox huc, mox illuc rapitur. Cui calamitati finis modusque non ponitur, nisi cum veri summique boni gustu voluntas afficitur, & ita per præstantioris boni majorem efficaciam ab illis rebus, quæ captivum velut eum tenebant, retrahitur. Non dubito, fore plerosque, qui post locorum illorum duorum inter se collationem, & post perlectionem eorum, quæ hic libro primo contra vulgarem doctrinam de libertate voluntatis & quomodo non obstante carentia libertatis illius actiones humanae tamen imputari possint, id judicium sint latiri. Cur tam astute dissimulat vir eruditus, quod sententiam priorem meliora edocetus mutaverit? Cur per verba: inquiunt, mihi videtur &c. lectorum seducit, ut sibi persuadeat, quasi nunquam ipse semitam vulgarem calcaverit, sed semper docuerit, voluntatem aque esse potentiam necessariam ac intellectum? Imo cur sibi tribuit illud inventum, cur non ingenue fatetur ex lectione aliorum se profecisse? postquam videlicet illi fuisus & perspicue docuerant, quomodo sublata illa scholasticorum libertate, imputatio tamen actionum humanaarum locum habeat, & quantum conducat ad emendationem hominum intimior confidencio duorum affectuum emendationi illi maxime inservientium, spei & metus? Verum quidem est, possunt duo viri eruditii quandoque easdem cogitationes de emendandis erroribus communibus babere, ita tamen, ut alter alterius scrinia non expilaverit. Sed ut istud raro contingit, ita considerantibus genium Scriptoris, & momen-

tum

tum circa quod prior editio mutata fuit, nemo illud effugium persuadebit. Sed esto, continuabunt illi, condonemus ei hanc dissimulationem, quam vulgus prudentiam vocat; cur non cordeate cum iisdem libertatem internam voluntatis, prout communiter a Scholasticis describitur, plane rejicit, & cur tamen in §. 33. illam absurdam & derelictam doctrinam iterum incrassare & sustinere voluit? Scilicet haec est communis infelicitas Doctorum nimis meticulosorum, & qui de veritate novarum doctrinarum persuasi, vel timent defensores veterum errorum refutatione modesta irritare, vel ex temperamento ad laudes potentum quorumcunque inclinante, eos, etiam in erroribus plane deferrere non audent. Sed comitari etiam solet istam infelicitatem alia, ut nimirum ejusmodi vacillantes doctrinae parum cohereant, & ut questita ab earum autoribus connexio, nihil nisi contradictiones, tantum non apertas contineat. Vis exemplum? Respic saltem ad ea, quæ ex §. 23. versic. Cumque in hominis arbitrio &c. modo excerpimus. Postquam enim Dn. Author docuerat: Voluntatem & que ac intellectum omni prorsus libertate (scil. interna ut precedentia docuerunt) destitui, & diversis bonis externis voluntati oblatis ab uno bono in alterum, quod majori vi impellendi gaudeat ferri, statim tamen, ne plane deseruisse videatur compendia vulgaria, subjungit, alio tamen respectu libertatem, (internam nempe, nam de hac est sermo) quandam homini tribui posse. Jam aures arrige Pamphile, & attende quisnam sit iste aliis respectus: Cum, inquit, in hominis arbitrio quodammodo positum sit, si forte voluntas in unam partem nimis propenderet, objectorum, quæ in contrariam eam flectant representatione, illam utcunque retrahere & ad æquilibrium reducere. Verba quidem, inquis, audio, aliquid dicere volentia, sed nullum involventia sensum. Agitur de libertate non totius hominis, sed in specie de libertate interna voluntatis. Vulgaris illa & perpetua libertas interna voluntatis fuit destruenda per confessionem, quod voluntas sit potentia necessaria, non libera. Et tamen jam contra asseritur, ho-

minem habere libertatem. Quo vero intuitu? Si intuitu voluntatis; aperta est contradic̄tio: Si intuitu alterius cuiusdam potentiax, mutatur status controversie. Adde, quod nec secundum propriam confessionem nullius partis aut facultatis respectu arbitrium vel libertas homini possit tribui: non intuitu voluntatis, quia h̄c in his ip̄s verbis excerptis dicitur propendere: Non intuitu intellectus; quia dixerunt §. 30. & hanc potentiam esse necessariam. Non intuitu corporis. Nam huic libertatem hacēnus nemo tribuit, neque ullum indicium est, ad torem hic ad corpus respicere voluisse. Sed ista quidem hacēnus sufficient. †) Supr. p. 45. 46.

§. CXXXIII.

Eadem ratio ostendit, quod actiones voluntariax pugnantes non possint oriri ex communi & una voluntate.

§. CXXXIV.

Non possunt isti motus oriri a voluntate communi & desiderio vitæ diuturnæ *) & jucundæ, quia vel mortem accelerant sensibiliter, †) vel certe vitam multis necessariis doloribus sensibiliter afficiunt. **)

*) Vid. §. 121. †) Per §. 83. **) Confer. Ausübung der Sitten-Lehre c. 9. 10. seq. & c. 11. n. 10. seq.

§. CXXXV.

Quod vero voluntates istæ tres non solum sint oppositæ, sed & revera pugnantes, monstrat partim earum natura, partim effectus, tum in singulis tum in diversis hominibus.

§. CXXXVI.

Voluptas est inimica proprietati, quia amat communio nem bonorum eorumque communicationem, est inimica cupidini imperandi, quia amat mutuum obsequium.

§. CXXXVII.

Avaritia est inimica voluptati, quia sentit voluptatem adversari acquisitioni proprietatis & dissipare bona propria; est inimica cupidini imperandi, quia & h̄c dissipat bona & homines alios dominii sui facit participes.

§. CXXXVIII.

§. CXXXVIII.

Ambitio est inimica voluptati & avaritiae, quia sentit utramque impedire acquisitionem gloriae & imperii,

§. CXXXIX.

Igitur sua sponte fluit, & experientia docet, quod & natura repugnant sibi mutuo in affectionibus externis homines ambitiosi, avari & voluptati dediti.

§. CXL.

Et si pugna sit, qui non sentiat, intra se pugnare metum turpitudinis aut impensarum aut moris & morborum cum desiderio voluptatis, vel metum laboris & periculorum cum desiderio imperii, vel metum ignominiae & curarum cum desiderio ditescendi & ita porro.

§. CXLI.

Illud dubium tamen removendum. Spes, metus, gaudium, tristitia sunt affectus oppositi, æque ut voluptas, ambitio & avaritia, & tamen ex una voluntate derivari possunt. Nam voluptas eadem sperat, metuit, gaudet, tristatur, pro variatione circumstantiarum. Idem de ambitione & avaritia dicendum. Cur non igitur & voluptas ipsa & ambitio & avaritia, et si sint affectus oppositi, possent ex uno fonte deduci, ac sic pro rivulis unius voluntatis haberri?

§. CXLII.

Sed ad ista tenendum, initio: spem, metum, gaudium, tristitiam non esse affectus primarios, sed affectuum saltem primiorum & inter se pugnantium varias affectiones omnibus communes, ut sequens caput ostendet. †)

†) In precedentibus editionibus addidem: Deinde falsum est, quod quatuor illæ affectiones inter se pugnant, cum nec sint, nec sentiantur in corde simul, sed una succedat alteri. Quæ vero pugnant, voluntas, ambitio, avaritia simul sentiuntur. Sed nunc malui ista verba omittere: cum omnino eodem modo, uti voluptas, ambitio & avaritia simul sentiuntur; ita etiam simul sentiuntur concomitans spes, metus,

metus, gaudium, tristitia: modo id in genere notes, in simultanea, quæ utrobique supponitur, sensione, non intelligi momentum mathematicum, sed morale, quod latitudinem habet. Simul vero his ita suppositis, etiam necesse fuit mutare integrum §. seq. 143. ubi videlicet in precedentibus editionibus ita scripsoram: Igitur etsi pugnantia sint opposita: non tamen omnia opposita pugnant. Atque adeo oppositio, quæ est inter spem, metum, gaudium, tristitiam, non est oppositio actionum vel etiam voluntatum aut facultatum diversarum, sed saltem conceptuum & definitionum.

§. CXLIII.

*. *Adde quod illa opposita non oriuntur ex uno principio. Vel enim spes & metus revera inter se pugnantes & simul sensu percepte oriuntur ex diversis voluntatibus per modo †) dicta, vel a potentia externa, quæ revera sunt oppositæ & pugnantes. Nam illa potentia externa, quæ spem excitat, non incutit metum, sed potentia opposita. ‡‡)*

†) *Vid.. §. 140.* ‡‡) *Conf cap. seq. §. 14. seq.*

§. CXLIV.

Ex dictis vero sequitur, quod ea, quæ communiter in Scholis attribuuntur electioni adeoque libertati voluntatis magis referenda sint ad passiones voluntatis aut coactionem ejus & necessitatem. Orta enim pugna inter diversos affectus, semper vincit potentia major. Quod quomodo distinctius sit intelligendum, indicabit caput sequens.

CAPUT II. DE PASSIONIBUS ANIMI.

S U M M A R I A.

Communiter omnes affectus dicuntur passiones animi. 1. Etsi voluntas natura sua sit potentia activa, 2. & tres primi affectus sint tres facultates.

facultates activae. 3. Spes, metus, gaudium, tristitia sunt proprie passiones animi. 4. Spei & metus definitiones, 5, item gaudi & tristitia. 6. Passiones animi vel excitantes vel deprimentes, 7, Spes & metus reliquas duas passiones sub se comprehendunt. 8. Spei & metus ulteriores differentiae. Spes est vel connata vel acquisita. Omnis metus acquisitus. 9. 10. Passio voluntatis eminenter & secundum certas circumstantias ita dicta, 11. quo intuitu affectus primi dicuntur etiam passiones animi. 12. 13. Metus vel oritur ex impedimento interno, 14. eoque vel extra, 15. 16. vel intra cor, 17. vel externo, scilicet vel a viribus potentiarum invisibilium, vel a potentiis corporum, 18. Illae agunt ordine & modo indemonstrabili. Harum ordo regulariter demonstrari potest. 19. Et haec vel agunt eodem modo, vel diverso, ut potentiae aliorum hominum. 20. Spes connata augetur vel per adjumentum potentiae internae, non tamen extra cor, nisi abusive. 21. Sed intra cor, si in desiderio unius rei concurrant due vel tres voluntates prime, 22. vel extrinsecus. 23. Gradus eminentes spei & metus. 24. Non omnia metuunt, nec sperant omnes. 25. Metus impossibilitatis aut difficultatis, seu frustaneitatis. 26. Metus damni. 27. Spes necessitatis, facilitatis, lucri. 28. Metus & spes rationalis vel irrationalis. 29. Audacia, timiditas, magnitudo animi, cautio. 30. Metus divinus & humanus. 31. Religiositas, supersticio, atheismus. Metus filialis, servilis. 32. Sapiens, prudens, astutus, imprudens, stultus. 33. Prophetæ, heroës, magi. 34. Horum exacta cognitio & secretio a spuriis ad sapientem pertinet. 35. Ad hoc opus est scientia naturæ potentiarum, 36. & præcipue cognitione relationis voluntatis humanae ad potentias alias 37. Voluntas humana omnis est potentia finita. 38. Termini voluntatis humanae cur non possint tam exacte regulis includi ac termini potentiarum alias, 39. 40. Voluntas humana potest & augeri & supprimi ab omnium alias rerum potentiis. 41. Voluntas aptanda magis est rebus aliis, quam ut eas sibi aptet. 42. Homo homini & nocere & eum adjuvare potest, 43. etiam maxime impotens, maxime potentem. 44. Nemo nec amat nec odit omnes. 45. Magis tamen homines ad odium, quam ad amorem inclinant. 46. 47. Hominum odium & amor

Et amor mutari possunt, 48. Pax, bellum, 49. Posse nocere vel adjuvare non supponit statim voluntatem, 50. metus & spes rationalis & irrationalis quorum hominum sit, 51. Magis metuendi homines, quam quod spes in iis sit collocanda, 52. Magis itaque excitanda voluntas & potentia adjuvandi, quam nocendi, 53. Quomodo excitetur potestas & voluntas nocendi, 54. Et adjuvandi, 55. Sapientis metus & spes, 56. spes non semper causa amoris, nec metus causa odii, 57. Potentia unius hominis non metienda ex potentia alterius, 58. Nam dantur diversæ vires corporis, 59. intellectus, 60. & voluntatis, 61. Alii facillime quid volunt, alii difficulter, 62. Quod tamen uni est possibile, alteri non est impossibile, 63. sed fit possibile per adsuetudinem, 64. Et exempla, 65. que & spem excitant & horum defectus metum producunt, 66. Etiam voluntates prima variis rebus excitantur & deprimentur, 67. nempe voluptas, 68. ambitio, 69. avaritia, 70. Voluntas dominans regulariter vincit voluntates duas inferiores, 71. nisi hec jungant vires, 72. aut una earum adjuvetur extrinsecus, 73. multo magis ergo se due, 74. ubi fortius operatur inferior, quam in aliis passio dominans, 75. Passio dominans facillime excitatur extrinsecus, inferior difficulter, 76. nisi passio dominans non repugnet, 77. Exhalationes morales occulte hominum se vel unientes, vel pugnantes, 78. Libidinosorum, 79. gula deditorum, 80. ambitionisorum, 81. avarorum, 82. eorum, qui mixturam voluptatis & ambitionis, 83. ambitionis & avaritie, 84. avaritiae & voluptatis habent, 85. Similes exhalationes occulte aliarum rerum relate ad voluntatem voluptati deditorum, 86. ambitionisorum, 87. & avarorum, 88. Quid per exhalationes & effluvia moralia hic intelligatur? 89. Signa harum exhalationum & quam efficaciam ea habeant ad voluntatem humanam in teneris infantibus, 90. 91. Comparatio hominum intuitu potentiae & voluntatis nocendi & juvandi, voluptuosorum, 92. ambitionisorum, 93. & avarorum, 94. Omnes actiones voluntariae cum spe & metu sunt conjunctae, 95. Earum multe oriuntur a voluntate coacta, 96. Ergo sunt diverso respectu vel liberæ vel coactæ, 97. 98. Vis vel est synonymum potentiae, vel denotat coactionem, 99. Hac vel visibilis, 100. vel

100. vel invisibilis, 101. quæ vel est amica vel inimica, 102. omnis vis visibilis inimica. 103. Actio spontanea & invitata, 104. Error scholarum de duplice invito. 105. Earum tortura de actionibus ex metu, 106. item de imputatione actionum ex ignorantia vel errore. 107. Fons erroris. 108. Sola voluntas consideranda in denominatione spontanei & invitata, 109. non intellectus, 110. tanquam potentia mere passiva, 111. In exemplis actionum invitatarum ex ignorantia deficit voluntas. 112. Exempla actionum voluntariarum deficiente intellectu. 113. Actio involuntaria, quæ postea voluntaria fit. 114. In moralibus principium non semper prius principiato. 115. 116. Spontaneum vel coactum. 117. Actio ex metu est aequa spontanea, ac actio ex spe premii. 118. Exempla actionum ex metu, quæ communiter etiam pro spontaneis habentur. 119. Non omnes actiones voluntarias imputari. 120. Invitata actio unica, sive concurrat intellectus, sive non, 121. modo voluntas deficiat. 122. Aliquando etiam imputari actionem invitam. 123.

§. I.

Communiter omnes affectus passiones animi dici solent, etiam cupido voluntatis, divitiarum, imperii, & poterit etiam ea denominatio tolerari, si modo recte explicetur, *) sed de hac explicatione nemo, quod sciam, distincte cogitavit, et si facillima sit & in sensu incurrens.

*) Nam tractatus, quem Cartesius de passionibus animi conscripsit, eo ipso, dum passiones animi vult explicare, est totus errorneus, intellectu difficillimus, & multis contradictionibus repletus.

§. II.

Diximus supra †) intellectum habere suas actiones & passiones, et si ejus actio omnis a passione incipiat. Ita & voluntas omnis potentia activa est natura sua, et si multæ ejus affectiones ab aliis potentiis oriuntur, imo omnes etiam actiones ejus ab aliis potentiis excitari, (* aut impediri,) & sic passiones dici possint. *)

K

†) Supra

†) *Supr. cap. 1. §. 48.**) *Conf. §. 12. 13.*

§. III.

Tres primarii aut primi affectus, voluptas, ambitio, avaritia, (quos etsi tres sint, non unus, sub communi tamen concepitu amoris comprehendendi posse, docuimus alibi †) sunt tres facultates activæ impellentes & intellectum & locomotivam ad unionem cum re grata etiam absente, cum quibus unita sunt triplicia odia*) impellantia easdem potentias ad fugiendam rem non gratiam etiam absentem, vel eam amovendam si praesens sit.

†) *Vide Ausübung der Sitten-Lehre cap. 4. & 5.*

*)

Nimirum odium temperantiae, modestiae, communionis.

§. IV.

Sed spes, metus, gaudium, tristitia sunt passiones animæ (* plerumque) ortæ ex sensu potentiarum alterius s. intra s. extra hominem, vel adjuvantis primarios illos affectus, vel iisdem repugnantis.

§. V.

Nam spes est affectio †) vel excitatio affectuum orta ex (* persuasione vel) sensu nullius impedimenti, vel ex (* persuasione, aut) sensu adjumenti alterius potentiarum in consequenda re grata, aut evitanda re non grata. Metus est depressione primorum affectuum orta ex (* persuasione vel) sensu impedimenti intuitu vel consequendæ rei gratiarum, vel evitandæ rei non gratiarum.

†) *Vid. §. 8. & 10.*

§. VI.

Gaudium est spes retinendæ rei gratiarum, & tristitia est metus retinendæ rei non gratiarum. Nam quatenus per gaudium & tristitiam denotatur sensus boni vel mali presentis, eatenus eam ad classem affectuum plane non pertinere, jam alibi *) ostensum est. Imo si sensus boni presentis conjunctus sit cum metu magno illud amittendi, tum non sentitur gaudium, sed tristitia. Et contra si sensus mali presentis conjunctus sit cum

cum spe magna illud amittendi, tum gaudium magis sentitur, quam tristitia.

*) *Vid. Ausübung der Sitten-Lehre cap. 3. n. 37. seq.*

S. VII.

Passiones itaque animi sunt duplices, vel quibus voluntates primariæ excitantur, vel quibus supprimuntur. Differt vero excitatio affectus ab ejus generatione vel impulsu, & suppressio ab ejus destructione vel omnis motus cessatione. Nulla enim potentia externa generat affectum primum, nulla eundem destruit. Sed posito homine statim ponuntur affectus, iisque non destrui possunt †) nisi destructio ipso homine. Ut adeo & generatio & destructio totius hominis (*per mortem) non confundenda sint cum generatione & destructione ipsorum affectuum primorum vivo homine, (*qua fieri nequit.)

†) Ad omnia spes & amor compellunt, ut plus valeant manifestis periculis. *Thucydides lib. 3. p. m. 129.*

S. VIII.

Simul vero hactenus dicta ostendunt, quod accurate loquendo duæ saltem sint affectiones affectuum primorum, spes & metus. Ex his autem spes quidem semper conata *) primis affectibus, metus semper postea aliunde advenit.

*) *Vide definitionem spes §. 5.*

S. IX.

Ipsi enim affectus primi cum sint conatus agendi, adeoque ad sui subsistentiam non opus habeant excitatione ad agendum, sed satis se ipsos excitent, si modo non impediantur ab aliis potentissimis, impedimenta vero semper proveniant ab aliis potentissimis, & possint abesse & adesse, patet, quod spes non semper habeat oppositum metum, †) metus vero semper habeat oppositam spem, quam deprimit. Ubi enim nullum desiderium, ibi nulla spes, ubi nulla spes, ibi nullus metus.

†) *Sic alibi (in der Ausübung der Sitten-Lehre cap. 4. §. 8. seq.) jam docui, amorem (qua spes fere correspondet) non semper*

semper habere oppositum odium; odium vero presupponere semper rem amatam vel amorem.

§. X.

Interim nullum est dubium, quin spes connata singulis affectibus possit augeri ab aliis potentiis, si haec vires suas uniant cum spe connata: ut adeo potentia illae non nullum augeant metum, sed & generent, spem vero saltem augeant, non generent. Et hoc intuitu spes est affectio orta ab ipsa aliqua prima voluntate, metus affectio orta a potentiis aliis, spes potest esse sine pugna aliarum potentiarum, metus non potest intelligi sine pugna.

§. XI.

Metus igitur est eminenter sic dicta passio voluntatis, quia ab ea semper voluntas aliqua patitur, spes vero est passio secundum certas circumstantias, quia voluntas sine passione etiam sperat & agit. Unde passio spei per augmentum vel excitationem aliarum potentiarum est similis impulsui, qui datur corpori jam currenti vel agenti.

§. XII.

Quod autem affectus primi etiam dicantur passiones *) animi, cum tamen sint potentia activa, fit intuitu totius animi, quatenus nempe animus mediante intellectu sentit †) conatum omnem cordis, etiam spem puram, multo magis igitur quotidianas pugnas in ipsa voluntate. **) Metus igitur est passio & animae totius & voluntatis. Sensio metus aut sensio etiam spei animae intuitu intellectus.

*) Conf. §. 2. & 3. †) Sensio vero est passio. **) Senit autem intellectus pugnas voluntatum diversarum in corde fieri. Hinc homines ipsi ab affectibus torti queruntur: Ach mein armes Herz.

§. XIII.

Posses etiam dicere, primos quoque affectus dictos esse passiones, quatenus augeri possunt omnes a potentiis aliis & deprimi, (*d. §. 2.)

§. XIV.

§. XIV.

Suscitatur vero metus vel ob impedimentum internum, vel ob externum. Illud voco, quod intra hominem est, hoc quod extra.

§. XV.

Internum vel intra cor est vel extra. Posterius contingit, quoties hominis locomotiva non est in statu ordinario, ut explere possit desideria voluntatis, †) Quamvis si subtiliter velis loqui, facile tolerare possimus, si id potius cessationem spei velis vocare quam metum.*) Nos enim voce metus hic utimur in eo significatu, ut cessationem spei sub se comprehendat. Ita impeditur eunuchus & contristatur cum virgine pulchra concubens.

†) *Ut desiderium concubitus in Eunucbo, cupiditas eundi in podagrico.* *) *Conf. §. 21.*

§. XVI.

Possit etiam ad hanc classem referre, si ex consecutione desiderii metuatur privatio locomotivæ aut membra alicujus, ut ex vinolentia amissio visus, ex libidine morbus gallicus, multo magis itaque, si inde metuatur morbus lethalis, quamvis plerumque haec genera metus possint etiam referri ad metum externum, subest enim v. g. metus potentiarum corporis contagiosi &c. adeoque hoc intuitu metus quædam mixta species detur,

§. XVII.

Impedimentum intra cor & inde ortus metus est, quod percipitur ex pugna ipsarum trium voluntatum primarum, voluntatis, avaritiae, ambitionis.

§. XVIII.

Extra hominem infinita impedimenta metum excitare possunt, quæ tamen tentabimus, an ad summa capita referri possint. Incutitur igitur hic metus vel a viribus potentiarum invisibilium, vel a potentias corporum.

§. XIX.

Dicitur hic duplex metus, quod potentias invisibilis regulari-

lariter agant modo & ordine, qui perfecte ab intellectu humano percipi aut demonstrari, i. e. ex certis & quidem specialibus & proximis causis & principiis deduci nequit, †) sed derivatur tamen ab universis gentibus a directione causarum primarum infinitarum & universalis; potentiae corporum contra regulariter agunt modo & ordine, qui ab intellectu humano ex certis & specialibus ac proximis principiis derivari potest.*)

†) *Hinc tot opiniones & errores de potentia angelorum, diabolorum, sagarum &c. item Physica Cartesiana, qua actus potentiarum invisibilium v. g. ventorum, vult ex potentissimis visibilibus, i. e. ex motu corporum demonstrare. Inde forte clarius erit, si in thesloco verborum: demonstrari, i. e. ex certis &c. scribatur: demonstrari, quod ab hac vel illa potentia invisibili proveniat.* *) *Clarius: qui ab intellectu humano certis & specialibus ac proximis causis vel corporibus adscribi potest. Distingue tamen inter potentiam motricem mechanicam corporum & reliquas; Illam informam artis rededit Cartesius. Reliquae etiam non possunt demonstrari a priori, v. g. vis attrahendi ferrum in magnete, virtutes oculorum in excitandis aliorum affectibus.*

§. XX.

Potentiae corporum metum incutientes vel agunt eodem modo ac adeo eodem etiam modo iis resisti ac metus tolli potest; vel diverso, ac adeo †) etiam diverso modo placari debent. Priori modo metum incutiunt potentiae reliquorum corporum, posteriori potentiae aliorum hominum.

†) *In hoc ergo consistit usus hujus diversitatis.*

§. XXI.

Spes vero connata augetur similiter vel per adjumentum potentiae internae, vel extrinsecus. Intrinsece spes connata per integratatem potentiae locomotivae non augetur, sed haec supponitur. Quod si tamen voce spei latius utaris, *) etiam pro spe, non solum connata vel acquisita, sed & pro cessatione metus, posses etiam hanc locutionem tolerare, si quis

quis hoc casu spem auctam dicat, si locomotiva antea turbata redeat in statum ordinarium.

*) *Conf. supra §. 15.*

§. XXII.

Spes igitur intrinsece primario augetur in corde, unde &, si quis cum magna spe agit, cordate agere dicitur, si scil. duæ vel tres voluntates primæ in desiderio rei alicujus unianatur, v. g. si quis appetat rem, quæ & delectat, & gloriam parit, & opes auget.

§. XXIII.

Extrinsecus augetur spes vel per adjumenta potentiarum invisibilium, vel per potentias corporum, ubi repetenda sunt, quæ modo de metu diximus, (*§. 19. 20.)

§. XXIV.

Uti vero metus major & terror incutitur per impedimenta potentiarum invisibilium, †) omnium maximus per impedimentum proveniens immediate a potentia prima & æterna, *) ita enim spes magna & fiducia excitatur per adjumentum potentiarum invisibilium, maxima per adjumentum immediatum potentiaz primæ. ††)

†) *Quia sc. potentiae invisibilis habent vires maiores viribus humanis.* *) *Terror Panicus.* ††) *Fiducia Petri, ambulantis super mare.*

§. XXV.

Porro quemadmodum diximus, intuitu modi agendi & in spe & in metu esse diversitatem inter potentias hominum aliorum & reliquorum corporum; ita & alio modo ista assertio declarari potest. *) Nam non omnia metuant omnes, nec per omnia spes omnium excitatur. (Et in eo iterum est differentia inter affectus bestiarum & voluntates hominum.) Atque hæc assertio etiam vera est intuitu potentiarum invisibilium. †)

*) *In §. 20. consideravi diversitatem actionum, hic considero diversitatem passionum.* †) *Ita alia metuant Athéi & les Esprits forts, alias*

alia Enthusiastæ, alia magi aut qui magi esse volunt; alia viri prudentes inter duo illa extrema medi.

§. XXVI.

Præterea metus varius est: Alius enim metus impossibilitatis seu desperatio,^{*)} alius metus difficultatis seu diffidentia. Uterque dici potest communi nomine metus frustraneitatis, cur nempe metuo, me bonum, quod cupio, non esse obtentum, aut malum, quod sentio, non esse remotum, vel certe difficillime id fieri posse, adeoque frustraneum fore omnem meum conatum & actionem.

**) Aliam desperationis acceptationem vide §. 30.*

§. XXVII.

Alius est metus damni, qui rursus duplex est. Vel enim metuo amissionem boni, quod habeo, vel acquisitionem mali. Hoc damnum positivum nominant Scholæ, illud privativum.

§. XXVIII.

Eadem est ratio spei. Alia enim est spes necessitatis aut facilitatis, quæ confidentia vel etiam audacia †) dicitur. Alia est spes lucri, ejusque iterum vel positivi vel privativi. Definitiones earum facile intelliguntur ex dictis.

†) Alium significatum audacia vide §. 30. Communiter audacia videtur esse spes obtainendi difficultia, sed falso. Ipsa audaci res semper videtur facilis, et si alii hic timeant, & eam pro difficulti habeant.

§. XXIX.

Iterum & metus & spes est vel rationalis vel irrationalis. Rationalis est, si homo metuens vel sperans recte estimat vires potentiarum vel adjuvantium vel pugnantium, adeoque metuit, ubi metuendum est, & sperat, ubi sperandum est. Irrationalis est, ubi perverse istas vires estimat, & metuit, ubi non est metuendum, vel etiam ubi est sperandum; sperat, ubi est metuendum, vel certe non sperandum. ^{*)}

**) Ultrumque facile declarari potest variis exemplis, tum intuitu impedimentorum, tum intuitu adjumentorum tam internorum quam externorum, tam visibilium, quam invisibilium.*

§. XXX.

§. XXX.

Spes excedens vel metus nimis deficiens audacia dicitur, item feritas (brutalitas.) Metus excedens vel spes nimis deficiens meticulositas seu timiditas vel etiam desperatio. †) Spes rationalis magnitudo animi. Metus rationalis cautio vel cauta circumspectio.

†) Aliam significationem desperationis & audacie repeate ex §. 26. & 28.

§. XXXI.

Metus potentiarum primarum i. e. Dei & potentiarum aliarum invisibilium, quarum demonstratio non datur, *) dicitur metus divinus, metus potentiarum, qui sub demonstrationem cadunt, metus humanus. †)

*) Hec phasis varie intelligi potest, initio de potentiarum ipsarum existentia & essentia, secundo de earum operatione. Intuitu primi significatus Dei quidem existentiam scimus, sed essentiam positivam ignoramus, verum pie de ea revelationi credimus. Angelorum existentiam & essentiam credimus, non scimus. Intuitu significatus secundi, nec Dei, nec angelorum operationes intuitu cognitionis distincte & scientifica, quanam sit earum causa, & quomodo fiant, sub demonstrationem cadunt, sed creduntur. Posteriorem significatum hic potissimum respicio. †) Vides utrobique denominationem fieri a specie nobilissima, in essentiis invisibilibus a Deo, in visibilibus ab homine.

§. XXXII.

Spes & metus rationalis divinus dicuntur religiositas, pietas, metus filialis. (* Spes &) metus irrationalis †) supersticio, metus servilis. *) Carentia omnis metus divini & metus tantum humanus Atheismus.

†) Exempla metus irrationalis divini pere aus der Einleitung zur Sitten-Lehre cap. 4. n. 24. seq. nimur si quis credat & optet 1) ut Deus quam voluntatem dirigat secundum desideria humana, 2) ut Deus in quibusdam hominibus complaceat, in quibusdam homines ad Dei voluntatem suas actiones applicent

L

cent. *) *De differentia metus filialis & servilis vid. Causa-*
tel. circa præcognita jurispr. c. 3. n. 8. seq.

§. XXXIII.

Qui connexionem potentiarum non solum intuitu præ-
 sentis, sed & sequentium influxum recte æstimat, sapiens &
 prudens †) dicitur : qui vires præsentes potentiarum recte
 æstimat, sed de earum connexione (* & duratione) non recte
 cogitat, astutus vocatur, qui neutras, imprudens & stultus.
 Unde datur etiam spes & metus partim rationalis, partim ir-
 rationalis, (* seu mixtus) quamvis haud dubie, si ad alterutram
 classem referri debeat, pertineat ad irrationalem.

†) *Propter dicta §. 29. & 30. in fine.*

§. XXXIV.

Quorum potentia intellectualis *) immediate a Deo
 agitata creditur, Prophetæ dicuntur, quorum voluntas, He-
 roes. †) At quorum intellectus & voluntas censemur agitata
 a potentiis invisibilibus dependentibus, appellantur Magi
 in sensu hodierno. **)

*) *Nam dantur etiam Prophetæ impi, ut Bileam.* †) *Dan-
 tur etiam Heroes cogati. Neque tamen putandum, omnes ve-
 ros Heroes esse probos. Poteſt enim etiam agitari eorum vo-
 luntas a Deo ad puniendum. Ita Nebucadnezar in Sacris li-
 teris hoc intuitu vocatur servus Dei.* **) *Olim enim Magia
 erat sapientia, vel scientia rerum naturalium occultarum.*

§. XXXV.

Sed cum multi impostores semper & ubique dentur, qui
 mentiuntur se immediate a Deo agitari aut aliis potentiis invi-
 sibilibus, & potentias corporum, quibus mediantibus agunt,
 astute occultare sciunt, inde nemo potest esse prudens & sa-
 piens, nisi qui veros Heroës, Prophetas & Magos secernere
 novit a spuriis. †)

†) *Iterum propter dicta §. 29.*

§. XXXVI.

At hoc facere nemo potest, nisi qui naturas potentiarum tam
 primarum quam secundarum, tam invisibilium quam corpo-
 rearum

rearum i. e. in corporibus operantium probe noverit, minime vero omnium, nisi vires propriarum potentiarum probe aestimare possit ad vires potentiarum reliquarum. Etenim potentia prima regulariter *) mediantibus potentiis secundis agit, et si in hæc inferiora & visibilia immediate, †) i. e. sine mediis visibilibus agere dicatur. Neque etiam facit impossibilia. Fluit enim ex ipsa natura potentia primæ, quod possit omnia quidem, sed non absolute impossibilia. **)

*) Dico regulariter: *Nam non nego miracula, sed saltem doceo, sapientis esse, ut vera miracula ab effectibus naturalibus, (divinis tamen) secernat.* †) *Nam mediate communiter dicitur agere, si agat mediantibus corporibus, immediate, et si agat mediantibus potentiis invisibilibus p. g. vento, igne a celo dejecto, mediantibus angelis bonis vel malis.* **) Docetur hoc hodie, in Pneumaticis fundamenti loco ab omnibus Doctoribus trium in imperio toleratarum religionum. Vide Cautel. circa præcogn. jurispr. cap. 12. §. 28 seq. lit. d. e. f. Eiſi olim, ni fallor, Thomas ex Scholasticis contrarium docuerit, haud dubie propter dogma transsubstantiationis. Annon vero hodienum multæ reliquæ hujus absurdī dogmatis supersint in conclusionibus multorum Theologorum tam Pontificiorum, quam Protestantium, alia quæſtio est.

§. XXXVII.

Uti vero de potentiarum natura partim in aliis disciplinis †) justo ordine agitur, partim hic sparsim multa suis locis *) dicentur; ita quod aestimationem potentiarum propriarum attinet earumque relationem ad alias potentias, quibus vel adjuvantur vel impediuntur, quædam adhuc in genere notanda sunt.

†) *In Theologia, Pneumatica, Astrologia, Physica.* *) *Vid. §. 67. seq.*

§. XXXVIII.

Voluntas humana omnis est potentia finita, i. e. etiamsi omnium hominum voluntates uniantur, tamen habent suos terminos, nec rationabiliter possunt ultro velle ea, quæ omnibus

bus sunt impossibilia, v. g. digito cœlum tangere, invisibiles se reddere, mare ebibere, volare &c.

§. XXXIX.

Sed facilius sciuntur eminenter impossibilia, †) ac eminenter possibilia, h. e. ea quæ omnibus & singulis sunt impossibilia, & quæ ab omnibus & singulis fieri possunt, quam ut exacti termini, quibus singularum hominum voluntates finiuntur, ad punctum poni possint, quia singulorum hominum voluntates & potentiaz reliquæ variant, ita ut quod multis possibile est, *) aliis multis sit impossibile, aut ut quod uniseorsim est impossibile, multis conjunctim sit possibile, **) aut denique, ut, quod jam uni est possibile, alio tempore sit ei impossibile & viceversa. ††) Unde exactius cognosci possunt potentiaz aliorum corporum ad potentias ejusdem speciei relatæ, quam potentiaz hominum inter se.

†) Modo tamen quis serio abjiciat prejudicia autoritatis humanae, repugnantia sensui communi. Quodsi id non fiat, non mirandum, quod homines, etiam eminenter impossibilia habeant pro possibilibus. Unde ego quidem non miror, quod hodienum multi Viri celebres, etiam ex Protestantibus, sibi persuadeant, artibus magicis homines posse fieri invisibiles, item posse volare; artibus mathematico-mechanicis posse invenire machinas volantes.

*) Scilicet hoc tempore & statu, tam intuitu virium corporis, quam ingenii, voluntatum, divitiarum, honorum, seu potestatis politica &c., **) Iterum nitione virium corporis, ingenii, voluntatum divitiarum, potestatis politica. ††) Ex. gr. actiones funambulorum, & imo in genere omnium artificum: actiones sanorum & agrotantium, vel mutilatorum, juvenum, senum &c.

§. XL.

Eadem est ratio passionum animi; quod multorum spem *) excitat, multos nihil juvat, & quod multi metuunt, multi contemnunt. Quod singuli metuunt, multi conjunctim contemnunt; quod jam metuo, alio tempore contemo &c.

*) Repete dicta §. 25. quæ hic explicantur distinctius.

§. XLI.

§. XLI.

Etsi igitur non possint determinari ad punctum proportiones virium propriarum, †) poterunt tamen generalia quædam axiomata de illis tradi. Vires voluntatis humanæ possunt augeri ab omnium aliarum rerum potentiis, possunt etiam ab omnium aliarum rerum potentiis *) supprimi.

†) *Id est humanarum.* *) *Scilicet ab omnis generis rerum aliarum potentiis, non ab omnibus rerum aliarum individuis.*

§. XLII.

Et cum nulla res sit, quæ non habeat potentias & noxias homini & utiles; †) sequitur, ut voluntas hominis debeat se magis conformem reddere potentias rerum, quam ut potentias rerum velit ad suum desiderium aptare.

†) *Omnes res sunt utiles & noxiae diverso respectu, prout scilicet homo ius utitur vel abutitur.* *Conf. Einleitung zur Sitten-Lehre cap. 1. § 15.* *In prima editione scripsoram: quæ non habeat potentias & adversas voluntati & eidem conformes.*

§. XLIII.

Omnium vero maxime homo hominem adjuvare eiique nocere potest.

§. XLIV.

Nullus homo tam impotens & imbecillus est, qui non posset alteri cuilibet aliquando & prodesse & nocere, & nullus homo tam fortis & potens est, qui non opus habeat aliquando auxilio quorumvis hominum, aut non succumbere posset aliquando infidiis quorumvis hominum.

§. XLV.

Nemo omnes amat, h. e. illorum voluntatem adjuvare studet, nemo omnes odit, h. e. illorum voluntatem impedire cupit.

§. XLVI.

Sunt tamen, qui neminem amant & multos oderunt, *) non sunt, qui multos ament, †) & neminem oderint. **)

*) Ut avari. †) Voluptati deditorum amor inconstans est. Ambitiosi paucos amant. **) Qui se putant multos amare ac neminem odiſſe, maxime se ipſos decipiunt. Huic vero tentationi præ reliquis ſubiecti ſunt, qui reguntur ſimil ab avaricie & ambitione.

§. XLVII.

Nemo eſt, quem oderint omnes, nemo, quem omnes ament; ſunt tamen, quos multi oderunt, pauci ament, non ſunt, quos multi ament, pauci oderint. †)

†) Nam potentes, divitos, viri famigeratissimi revem a paucis amantur, etiſi multi iis adulentur.

§. XLVIII.

Nemo ita alterum amat, ut non poſſit definere amare aut odiſſe; nemo alterum ita odit, ut non poſſit definere odiſſe, etiſi non facile poſſit amare.

§. XLIX.

Unionem voluntatum ſpem auget, amorem producit, pax dicitur. Difſidium voluntatum metum multiplicat, odium operatur, bellum dicitur.

§. L.

Non omnis, qui poſteſt nocere, vult nocere, nec omnis, qui poſteſt adjuvare, vult adjuvare. *) Sunt tamen, qui & poſſunt & volunt, ſunt, qui volunt, & non poſſunt †) ſunt, qui nec volunt, nec poſſunt. **)

*) Contra Hobbesium, ex potentia communi nocendi deducentis bellum omnium contra omnes. †) Adjeceram in tertia editio- ne: ſunt qui poſſunt & non volunt. Sed hec iterum ex- punxi, cum repetant ſaltem ea, que ab initio hujus paragraphi jam dicta erant. **) Scilicet hoc momento, ut plurimum, scilicet ut non obſtent ea, que dicta ſunt §. 44.

§. LI.

Metuimus metu rationali eos, qui & impedire poſſunt & volunt; irrationali, qui aut non poſſunt, aut nolunt. Eadem dicenda ſunt de ſpe rationali & irrationali.

§. LII.

§. LII.

Magis tamen metuendi homines sunt, quam ut spes in iis sit collocanda, quia saepius possunt nocere & saepius volunt. †)

†) Repete dicta §. 44. 46. 47. Adde, quia etiam saepius dissimilant voluntatem & potentiam nocendi, aut plane contrarium simulant.

§. LIII.

Magis itaque excitanda est hominum potentia nos adjuvandi, quam potentia nobis nocendi irritanda: & magis excitanda voluntas adjuvandi quam voluntas nocendi.

§. LIV.

Irritatur potentia aliorum nobis nocendi, si eos non metuam, *) irritatur voluntas nocendi, si iis resistam. †)

*) Sed sim securus. Intelligo vero secundum §. 30. metum cautum, non meticulositatem. †) Si nimurum habeant magnam potentiam nocendi. At si parvam, & sint meticulosi, aliquando, imo regulariter, resistentia opus est. Nunquam enim fallit axioma: Omne animal crudele timidum, & omne timidum crudele, modo recte applicetur.

§. LV.

Excitatur potentia aliorum nos adjuvandi, si non resistam, *) excitatur voluntas, si eosdem adjuvem.

*) Tunc enim vis unita fortior.

§. LVI.

Sapiens ergo & plures adjuvat †) & plures tamen metuit, *) paucissimis vero resistit, ‡‡) in paucis spem aliquam, **) in nemine nisi in potentia externa fiduciam ponit. ‡‡‡)

†) Nimurum ut ament *) Id est, cavit, ne noceant. ‡‡)
Partim, ne odium eorum excitet, partim, ne impedit eorum potentiam adjuvandi. **) Per dicta §. 52. ‡‡‡) Per §. 24.

§. LVII.

Amor igitur rationalis, uti non absque metu *) est, ita non omnis spes in homines alios est causa amoris, †) nec omnis metus causa odii. **)

*) Per

- *) Per §. 56. Respondeendum ad dictum Scripturæ : Surcht ist nicht in der Liebe. Loquitur enim de meticuloſitate.
 †) Nimirum, ſi ſu irrationalis per §. 51, v. g. ſi peccem contra preceptum §. 55. Adde, quod ſpes magis fit effectus amoris, quam ejus causa. **) Per §. 48. & 56.

§. LVIII.

Potentiam propriam sapiens non metitur ex potentia aliorum hominum, nec aliorum hominum ex propria. †)

- †) Proper §. 20, 25. 33.

§. LIX.

Alii enim habent diversas vires *) corporis. Ita Milo taurum portat: Funambuli super funibus saltant &c.

- *) Vel agilitates. Ut praeter funambulos v. g. die Taschen-Spieler.

§. LX.

Alii diversas vires ingenii, memoriarum, iudicij.

§. LXI.

Omnes diversas voluntates. Ergo multo minus sapiens potentiam propriæ voluntatis aut impotentiam estimat ex potentia & impotentia voluntatis alienarum.

§. LXII.

Nam ad quæ nos facillime inclinamus, ad ea alii difficulter, & vice versa.

§. LXIII.

Cum tamen semina trium voluntatum primarum sint in omnibus hominibus, & omnes potentiarum augeri possint exercitio, sequitur, ut regulariter †) uni homini non absolute sit impossibile, quod possibile est alteri, et si unum sit alteri facilius. *)

- †) Scilicet intuitu voluntatum. *) Hoc notandum, ne quis putet, plane impossibilem esse emendationem hominum moralem, quem errorem adhuc celavi in der Ausübung der Sitten-Lehre cap. 15. & in conclusione.

§. LXIV.

§. LXIV.

Pleraque igitur, quæ jam sunt impossibilia, per adsuetationem tempestivam fiunt possibilia, & contra multa fiunt impossibilia aut difficultia per desuetudinem. Hinc consueto altera natura. †)

†) *Adde, quod omnis homo semina habeat trium diversarum cupiditatum indifferentium, delectationis sensuum, gloria vel laudis, & proprietatis, & quod passiones infime excitatae supprimant dominantes, excitari autem possint exemplis aliorum, horumque imitatione.*

§. LXV.

Promovet autem valde adsuetatio exemplis aliorum, & maxime exemplorum multitudine.

§. LXVI.

Inde adsuetatio & exempla spem excitant, desuetudo & deficientia exemplorum aut pauca exempla metum producunt.

§. LXVII.

Multæ sunt potentiaz, quæ voluntates primas excitant, multæ sunt, quæ deprimunt.

§. LXVIII.

Cibus & potus, item personæ sexus diversi irritant volupatem, horum carentia vel deprimit, vel certe desuetudinis causa est.

§. LXIX.

Laus & vituperium, honoris externa signa & contemtus, præmia & poenæ irritant vel augent ambitionem. Sine his ambitio torpet.

§. LXX.

Magna bonorum inæqualitas, i. e. divitiaz & pauperies irritat vel auget avaritiam; magna æqualitas, ubi nec divites sunt, nec pauperes, nutrimentum eidem subtrahit.

§. LXXI.

Voluntas hominis dominans etiam si non sit excitata a potentiaz extrinsecis, semper vincit voluntatem inferioris potentiaz,

M

tia, si hæc sola sit, & non adjuvetur aliunde. Ita valde ambitious supprimet facile cupidinem voluptatis & avaritiam separatas & non excitatas, & ita in aliis exemplis,

§. LXXII.

Voluntates tamen duæ inferiores, si earum vires jungantur, ita ut superent vires potentiarum dominantis, vincent dominantem. Ita valde ambitious særpe non supprimet timiditatem, ut quæ affectio est voluptatis pariter & avaritiae.

§. LXXIII.

Voluntas etiam infima, si valde adjuvetur a potentiis extensis, vincet voluntatem dominantem. Ita homo valde ambitious irritatus a fœmina valde pulchra, aut pluribus, tandem succumbet.

§. LXXIV.

Multo magis itaque succumbet passio dominans, si duæ voluntates inferiores adjuventur a potentiis extensis. Ut si fœmina pulchra magna dona premitat ambitioso.

§. LXXV.

Passio infima a potentiis extensis valde excitata særpe operabitur magis sensibiliter, quam in aliis hominibus, ubi est passio dominans. Ita voluptas & avaritia særpe impellunt valde ambitious ad actus voluptatis & avaritiae magis sensibiliter, quam ubi voluptas & avaritia dominantur.

§. LXXVI.

Passio dominans facilissime excitatur a potentia quavis externa. Passio dominata si excitari debeat supra dominantem, magna potentia externa opus est. Ita valde ambitious quæcunque laus aut vituperium, quicunque honor excitat: valde voluptati deditus vel avaritiae, ut aliquid faciat voluptati aut avaritiae parum gratum, multis laudibus & honoribus aut vituperiis &c. opus est,

§. LXXVII.

Non ita magno irritamento, sed magno tamen opus est, ubi passio infima irritatur in actione passioni dominantis vel plane non, vel parum adversa. Ut si valde ambitious & parum volu-

voluptati deditus irritetur a foemina pulcra , ex cuius amore non metuat lassionem famæ,

§. LXXXVIII.

Sunt etiam naturaliter certæ excitationes & depressiones aut pugnæ potentiarum humanæ voluntatis diversorum hominum ; et si ex plerisque hominibus sint occultæ, non quia difficulter intelliguntur, sed partim quia ab iis non attenduntur, partim quia homines magis inquirunt in natures aliarum rerum, quam in naturam propriam moralem, partim quia hæ pugnæ & uniones potentiarum magis sensu communi percipiuntur, quam ut demonstrari a priori possint, quamvis quædam exempla facilius assensum extorqueant aliis. Unde ab aliis incipiemos.

§. LXXXIX.

Hominum libidinosorum exhalationes morales (liceat eo termino *) uti in materia morali) libidinem similium, valde ambitiosorum odium, avarorum contemptum naturali potentia regulariter sensibilissime excitant, & morbos veneros attrahunt.

* Quid vero hic per exhalationes morales intelligam, docebit §. 89.
Qui adeo forte commodiorem locum haberet, si premitteretur
(altem in explicatione) huic §. 79.

§. LXXX.

Gulæ deditorum exhalationes gulam aliorum, item gaudium ac hilaritatem, in ambitiosis vero & avaris iterum displicantiam & contemptum excitant.

§. LXXXI.

Ambitiosorum, reverentiam aliorum, aliorum iram, aliorum metum movent.

§. LXXXII.

Avarorum, modo ad tristitiam & silentium aliquos movent, modo alios etiam ad id non pronos irritant ad damna danda eosque decipiendos.

§. LXXXIII.

Eorum, qui magnam mixturam voluptatis & ambitionis habent, dissidentiam, odium & metum suscitant in iis, quorum passio dominans est avaritia, aut mixtura avaritiae & ambitionis; alios ad amicitiam & benevolentiam alliciunt, multos & amicos & inimicos parant, infortunii tempore non difficulter etiam in hominibus ignotis suscitant misericordiam.

§. LXXXIV.

Eorum, qui magnam mixturam avaritiae & ambitionis habent, metum servilem in avaris & voluptati deditis, odium & contemptum in ambitiosis, etiam voluptate temperatis; apud alios fiduciam ad tempus, apud plerosque gaudium, vel certe carentiam misericordiae tempore infortunii suscitant.

§. LXXXV.

Eorum, ubi & avaritia & voluptas dominatur, momentaneam quidem benevolentiam, sed mox diurnam repugnantiam fere omnium hominum, certe carentiam amoris & amicitiae, aut commiserationem cum contemptu conjunctam producunt.

§. LXXXVI.

Quin & a rerum aliarum potentias naturaliter patiuntur homines, etiam quod mireris a potentias rerum artificialium, aut quae ab impositione hominum alias dependent, aut experientiam videntur presupponere. Ita voluptati dediti rapiuntur ab exhalationibus vini, cibi, oculorum lascivientium, chartarum lusoriarum, aliarumque rerum ad lusum destinatarum.

§. LXXXVII.

Ita ambitiosi naturaliter patiuntur a sono & gestibus laudantium, a signis reverentiam aut submissionem & obedientiam denotantibus, a sono bombardarum, hinnitu equorum &c.

§. LXXXVIII.

Avari vero ab ipsis effluviis rerum, quae sunt in commercio maxime vero ab effluviis auri & argenti commoventur.

§. LXXXIX.

§. LXXXIX.

Voco vero effluvia moralia omnes emanationes rerum, quæ sensus feriunt, non solum visum sed & auditum ac reliquos, imo ipsas voces ac gestus &c. †)

†) *Facierum diversitatem, ipsos motus in actionibus varie & diversimode operantes in affectus humanos.*

§. XC.

Quod vero hæc omnia afficiant hominem non propter adsuetudinem aut notitiam significationis & usus rerum, per experientiam acquisitam, exinde perspicuum est, quod teneri etiam infantes, & in quibus nondum intellectus vim suam exercit, quique experientia omni carent, evidenter signa passionum istarum variarum.

§. XCI.

Nam cum vix annum impleverunt, aliis delectatur nuditate membrorum humanorum, aliis gaudet ipsis chartis lusoriis, aliis manibus pedibusque movetur ad conspectum nummorum, aliis cum canibus ludit, *) & ita de cæteris.

*) *Alius delectatur gestibus reverentiam testantibus.*

§. XCII.

Cum vero supra †) dixerimus, ad metum & spem rationalem requiri & potentiam & voluntatem nocendi & adjuvandi, juvabit & ista notasse, quod homines voluptati dediti regulariter alios velint adjuvare & nolint nocere, si non valde irritentur, sed non multum & nocere & adjuvare possint, ob iræ momentaneum transitum, nimium studium commoditatis seu ignaviæ, timiditatem &c.

†) *Supra §. 50. 51.*

§. XCIII.

Avarus non inclinat ad alios juvandos, si non speret interesse & utilitatem propriam, potest tamen eos adjuvare, si actiones ejus dirigantur ab aliis; inclinat ad nocendum aliis, non tamen multum nocere potest, nisi actiones ejus dirigantur ab aliis.

§. XCIV.

Ambitiosus naturaliter & vult adjuvare alios & potest, si vero irritatur, & vult & potest nocere. *)

*) Dicendum hic etiam in discursu de potentia & voluntate nocendi & adjuvandi, si passiones sunt mixte.

§. XCV.

Quæ hactenus †) de spe & metu hominum diximus, ostendunt, voluntatem hominis semper conjunctam esse cum spe aut metu, adeoque nullam actionem voluntariam dari sine spe aut metu.

†) Incipit hic doctrina de usu hactenus dictorum de spe & metu intuitu doctrinae capitinis precedentis.

§. XCVI.

Porro cum potentia fortior naturaliter vincat minorem seu imbecilliores, *) sequitur multas actiones voluntarias oriri a voluntate coacta vel per potentiam majorem excitantem, vel per potentiam majorem reprimentem, seu metum incutientem. *) Per dicta §. ult.

§. XCVII.

Aetio igitur voluntaria omnis intuitu dependentia a voluntate non est libera; intuitu principii dirigentis seu voluntatis ipsius est vel coacta, quando voluntas vi potentiaz exterioris absque vi corporea invisibiliter ipsam cogentis, necessitatibus ad aliquid imperandum potentiaz locomotivæ, vel non coacta seu libera.

§. XCVIII.

Tum vero potentia voluntatis libera est, quando homo spe connata agit absque externa vi vel desiderium aut spem excitante vel metum incutiente, adeoque iterum extrinsece, non elective.

§. XCIX.

Vis vel denotat in genere potentiam agendi †) & tum synonymum est ipsius potentiaz, facultatis, virtutis; vel denotat in specie actionem cogendi a potentia illa oriundam. *)

†) Germanice **Brafft.** *) Germanice **Gewalt,**

§. CI

§. C.

Tum vero est vel vis visibilis, quæ & corpore fit & in corpus visibiliter, per locomotivam unius corporis in corporis alterius locomotivam ; vel invisibilis.

§. CI.

Hæc non semper fit per locomotivam alterius corporis, & sæpius non immediate in locomotivam alterius.

§. CII.

Invisibilis porro est vel vis amica, desiderium aut spem voluntatis nostræ excitans, ut sunt, v. g. irritationes mere- tricium, adspectus, odor, sapor vini, laudes hominum, nummi armati &c. vel inimica, desiderio aut spei metum incutiens, ut minæ mortis, ignominia, damni, carceris &c. †)

†) *Vel aliae actiones citra minas metum infamie, morbi &c, exercitantes.*

§. CIII.

Visibilis vis omnis est inimica, quia semper fit reluctante voluntate.

§. CIV.

Omnis actio voluntaria uti spontanea dicitur, ita omnis actio non voluntaria seu non spontanea est invita. *)

†) *Invitum sumitur vel pro eo quod est contra, vel quod est præter voluntatem, quorum posterius tamen ad distinctionem inviti strictius dicti dici etiam solet non voluntarium stricte dictum.*

§. CV.

Sed cave, ne ulterius progrediaris cum doctrina Scholasticorum ; qui duplex invitum faciunt, vel per ignorantiam aut errorem ex parte intellectus, vel per coactionem ex parte voluntatis. Ut enim erratunt, quod actionem omnem voluntariam dixerunt esse liberam, & voluntati libertatem attribuerunt, ita & error est, quod omne coactum dixerunt esse invitum, †) item quod invitum fecerunt ex parte intellectus.

†) *Cum tamen etiam detur coactio amica per §. 102.*

§. CVL

§. C VI.

Qui error vel maxime tum apparat, cum de actionibus metu iniis agunt & torquent, an ad actiones voluntarias an involuntarias eas referre debeant, an tertium genus actionis formare? *)

*) De hac questione egi infra cap. 7. §. 35. seq.

§. C VII.

Item an imputari debeat actio tanquam voluntaria, quæ cum ignorantia & errore conjuncta est, unde multas divisiones inutiles & obscuras †) ignorantia tradunt, & multas regulas similes de imputatione erroris.

†) Scilicet in ignorantiam vincibilem & invincibilem, efficacem & concomitantem, voluntariam & involuntariam, & hanc vel in se, vel in sua causa, vel in se & sua causa simul talem. Quas lactucas tamen suis adhuc commendat Dn. Buddeus Philos. Pract. Part 2. c. 2. §. 21. p. 215.

§. C VIII.

Fons erroris est, quod fundamentum imputationis quæ siverint in libertate voluntatis. Quemadmodum vero libertas illa voluntatis ostensa hactenus fuit esse non ens, fundamentum imputationis jam supra fuit derivatum exinde, quod homo ipse sit ejus autor, hoc est, quod actio externa processerit ex imperio voluntatis, ita ex hactenus dictis paucis jam emananda est doctrina de actione spontanea & invita.

§. C IX.

Spontanea actio est actio voluntaria, invita non voluntaria. *) Ergo sola voluntas attendi debet in denominazione utriusque, non intellectus vel cognitio omnium circumstantiarum actionis.

*) Per §. 104.

§. C X.

Ergo actio omnis a voluntate imperata locomotivæ spontanea est, sive intellectus circumstantiarum adsit, sive non, modo voluntas adsit; omnis actio invita est, ubi deficit voluntas, sive adsit scientia intellectus, sive non.

§. C XI.

§. CXI.

Cum enim supra †) monstraverimus, quod intellectus sit potentia mere passiva a sensibilibus vel voluntate dependens, non potest esse principium actionis humanæ,

†) *Supr. cap. I. §. 49.*

§. CXII.

Ita si quis venenum bibat, quod nescit esse venenum, verum quidem est, quod actio hæc intuitu veneni sit invita, sed non propter deficientiam intellectus, sed quia noluit venenum bibere. Voluntaria ergo est haec tenus saltem, quod voluerit bibere. Eadem est applicatio, si quis concubat cum uxore alterius, quam putat esse uxorem propriam.

§. CXIII.

Contra si quis voluerit venenum bibere & cum uxore alterius concubere, est actio voluntaria, et si ex errore biberit medicamentum, aut concubuerit cum uxore propria. †)

†) *Sic & in jure privato, si quis versetur in actu illico & v. g. voluerit interficere inimicum, ei imputatur hoc homicidium, eis ex errore interfecerit amicum.*

§. CXIV.

Ita si quis jactu lapilli in corvum directo feriat novercam, tamdiu est actio involuntaria, quamdiu non dicat, neque sic quidem male. Tum enim quia accedit voluntas, ex non voluntaria fit voluntaria.

§. CXV.

Ergo hoc saltem notandum, ad estimationes actionum voluntariarum non semper requiri, ut voluntas præcedat, sed sufficere, si subsequatur actionem. Unde regula, quod ratihabitio (morali estimatione) retrotrahatur ad tempus initii.

§. CXVI.

Et falsum adeo est in moralibus, quod principium debeat esse semper natura prius tempore principiato. *)

*) *Adeoque habes exemplum, quod regula metaphysica non magnam habeant usum in moralibus.*

N

§. CXVII.

§. CXVII.

Spontaneum duplex est; vel liberum (extrinsece) ubi voluntas impulit locomotivam absque extrinseca excitatione vel voluntatis primæ, vel spei, & absque metu: †) vel coactum, ubi voluntas *) vel excitatione extrinseca spei vel metus fuit necessitata & coacta. ‡‡)

†) Wenn ein Mensch etwas aus bloßen Muthwillen thut. *) Potissimum regulariter dominans. ‡‡)

Wenn ein Mensch verleitet, verführt oder gezwungen worden.

§. CXVIII.

Cur enim actio, ad quam voluntas hominis invisibiliter est metu coacta, pro voluntaria non deberet haberi, cum tamen pro voluntaria habeatur, ubi hominis voluntas vel prima vel spes ei connata excitatione extrinsecæ potentia, v. g. amica persuasione, propositione præmii &c. fuit necessitata, cum tamen utrobique sit eadem ratio, id est, coactio voluntatis.

§. CXIX.

Ita pacta pacis bello extorta, ita actiones legi conformes, et si ex (* ulterioris belli vel) pœnæ metu processerint, sunt communi consensu voluntariæ & imputantur etiam.

§. CXX.

At, dicis, non imputantur tamen omnes actiones ex metu patratæ, v. g. promissiones latroni factæ, actiones servorum a Dominis imperatæ. Sed ad hæc infra *) dabitur responsio, ubi fusius de imputationis effectu agemus, postquam sc. de legis natura dictum fuerit, sine qua doctrina de imputationis effectu non poterit intelligi. Interim prænotetur, non omnes actiones voluntarias imputari, aut imputari diverso respectu, & non imputari.

*) Vide cap. 7. n. 35. seq.

§. CXXI.

Invita actio unica est, seu comitetur eam intellectus, h.e. et si sciām, quid agatur, id quod sit in coactione visibili extrinseca

seca locomotivæ hominis vigilantis ; sive non concurrat, ut si
casu mero alteri damnum dem.

§. CXXII.

Uti ergo in posteriori exemplo actionem invitam non intellectus deficientia, sed voluntatis ; ita in priori invitam non facit coactio, sed iterum deficiencia voluntatis. †)

†) *Nam in illo casu non voluntas fuit coacta, sed sola locomotiva.*

§. CXXIII.

Quemadmodum autem alibi *) docui, aliquando si casu damnum dederim, me naturaliter teneri ad damni restitutionem ; ita vel ex hoc iterum exemplo prænotandum est, aliquando etiam imputari actionem invitam, adeoque solas differentias actionis voluntariae & involuntariae seu invitae non dare fundamentum ad æquatum imputationis. †)

*) *Nimirum in disputatione de larva legis Aquilie &c.* †) *Confer infra cap. 7. §. 46.*

CAPUT III.

DE

VARIIS HOMINUM MORI-
BUS ET BONIS.

SUMMARIA.

Mores quid? Potentia reliquorum corporum agunt uniformiter, 1. ho-
minum diffimerit. 2. Alii mores Sapientum, alii stultorum. 3.
Homines natura non sapientes. 4. Hoc cognoscere, initium sapien-
tiae. 5. A moribus igitur stultorum, ceu prout homines a uatu-
m esse solent, incipiendum. 6. Hominum mores & convenientia,
& non convenientia. 7. Omnes se maxime amant. Unde fluere
quod se habeant pro creaturis præstantissimis, 8. quod præstan-
tiam hominis querant in intellectu, 9. & in eo ponant essentiam ho-
minis, 10. & quod omnes homines habeant eandem essentiam, 11.

N 2

& quod

& quod intellectus dirigat voluntatem, 12. & quod voluntas libera sit, nec possit cogi, 13. & quod sit una voluntas, 14. & quod appetitus sensitivus differat a voluntate, 15. & alia infinita præjudicia moralia, 16. Præjudicium est actus voluntatis, 17. 18. Homines estimant bona & mala ex sensibilitate, 19. eaque querunt magis apud alios, quam apud se, 20. quia vana est eorum cupiditas sciendi, 21. Preferunt bonum partis, bono totius, 22. positivum privato, 23. extraordinarium ordinario, 24. Hominum spes & metus: sperant impossibilia, 25. Habent spem & metum pro primariis affectibus, 26. potentias invisibilis metunt metu humano, & potentias corporum divino, 27. sunt creduli & perspicaces, 28. perspicaces in aliorum stultitia, cæci in propria, 29. priuant se esse sapientissimos, 30. sunt securi & desperati, 31. Stultorum concepus de bono jucundo, 32. de utili, 33. (Scrutanteur inutilia, 34. felicitatem querunt in speculatione rerum, 35. non fidunt sensibus propriis, 36. querunt acquisitionem felicitatis mediis stultis, 37. quæ promovent potius stultitiam, 38. querunt quietem in rebus inquietis, 39. quæ appetunt, vel non consequuntur, vel mox contemnunt, 40. ita omnes vivere cupientes mortem accelerant, 41.) de honesto, 42. (volunt alios emendare 43. 44. querunt consilia aliorum & non sequuntur, 45.) de decoro, 46. & pulcro, 47. Eadem definitio horum honorum omnium apud stultos, 48. 49. sed conceptus tamen inconstans & maxime varians, 50. Eorum appetitus intuitu libertatis, 51. imperii, 52. proprietatis, 53. Stultorum mores etiam convenientes sibi met ipsi repugnant, 54. Status hominum naturalis status confusus ex pace & bello, magis tamen in hoc inclinans, 55. neque tamen ineptus ad pacem, 56. Mores stultorum differentes intuitu trium voluntatum primarum, 57. Convenientia & inconvenientia voluptatis cum ambitione, 58. ambitionis cum avaritia, 59. avaritiae cum voluptate, 60. (meticulostatem voluptatis & avaritiae non pugnare cum dicto: quod nullus metus sit connatus, 61.) Excellens ingenium, judicium, memoria unde? 62. Fontes crudelitatis, superstitionis, atheismi, 63. enthusiasmi, nimiae subtilitatis, 64. facilis ad veritatem reditus, & pertinacie, 65. ingenii fluctuantis & profundarum meditatio-
num,

num, 66. ingenii poetici, oratorii, apti ad varias scientias & artes, 67. adhærentia autoritati & præcipitantia, 68. aptitudinis ad speculum & negotia, ad consilia & executionem. 69. Fontes boni vel jucundi, vel honesti, vel utilis. 70. item pulcri & decori, 71. Fontes imperii, proprietatis, libertatis, communionis. 72. Eru-ditos stultos maiores esse, quam non eruditos, 73. & divites ac potentes, quam pauperes & viles. 74. Non tamen eruditionem, di-vitias & potentiam esse criterion stultitia. 75. Sed sapientem ve-m eruditione habere opus, item divitias & potentia commode uti posse, 76. Etiam ipsas voluntates dominantes non esse extreme & omni ex parte malas, sed posse sapientem iis uiti ad bonum fi-nem. 77. Usus bonus voluptatis in vita communi; 78. ambitionis; 79. avaritiae. 80. Usus magis sensibilioris voluptatis cum ambitio-ne mixta, 81. item mixtura ambitionis & avaritiae. 82. Etiam mi-serrimi temperamenti ex voluptate & avaritia compositi usum in vita humana esse necessarium. 83. Neminem esse tam miserum, quo sapiens uiti non possit. 84. Alterari hominum mores etate, celi genio, educatione. Mores juvenum, 85. virorum, 86. se-num. 87. Mores diversarum nationum diversi. 88.

§. I.

Mores supra *) diximus esse actiones plures vo-luntarias conformes. Potentiaz reliquorum cor-porum in omnibus individuis ejusdem generis uniformiter agunt, quia una eademque potentia est, in omnibus. Hinc nec in bestiis, quæ sunt ejusdem generis, mores variant. †)

*) Supra cap. 1. §. 55. †) Connexio hujus capituli cum preceden-tibus haec est. Negata libertate intrinseca voluntatis corruit tota sententia communis, cur homo sit legis naturæ capax, & non bestiæ, præprimis, cum quotidiana experientia doceat, bestias non plane esse incapaces omnis normæ. Unde alia connexio fuit quaerenda: Scilicet bestiæ non opus habent norma seu lege natu-ræ. Homines autem ob stultitiam suam ea indigent. Doctrina communis de libertate interna voluntatis est præcipuum fulcrum

doctrinæ Papistice de acquirenda salute eterna per bona opera. Contraria negatio hujus libertatis magis coheret cum doctrina Protestantum de carentia virium voluntatis humanae in rebus spiritualibus. Confer dicta in Beschlusß der Ausübung der Sitten-Lehre.

§. II.

At cum singuli homines peculiares ac diversas potestias agendi seu voluntates habeant, non possunt non etiam mores hominum inter se differre infinitis modis. Unde horum convenientia & differentia consideranda, quantum in materia infinita fieri potest.

§. III.

Cum vero hominum alii sapientes sint, alii non sapientes, & horum non possint non esse diversissimi mores & plane oppositi, inde hæc differentia est præcipua in doctrina morali.

§. IV.

Homines omnes a natura sunt insipientes & stulti, certe si hoc durius forte sonet, non sapientes.

§. V.

Et hoc serio cognoscere, initium sapientiæ est. *) Nam isti stulti sunt maximi, qui putant se esse sapientes, cum non sint, sunt enim tamdiu moraliter incurabiles. At is vere sapiens est, qui quotidie magis magisque cognoscit stultitiam cordis humani, & maxime propriam.

*) Non obstat dictum Scripturæ: initium sapientiæ timor Domini. Nam tum demum excitatur timor Domini, (filialis) si homo serio agnoscat propriam stultitudinem. Citra hanc agnitionem timor Domini foret mere servilis. Confer dicta cap. praeced. §. 32.

§. VI.

Incipiendum igitur a moribus insipientium, †) tum vindendum, quomodo ex talibus possint fieri sapientes, & quo-usque possint. *) Mores vero sapientum facile ex natura oppositorum cognosci poterunt.

†) *Centrum Stoici & Epicurei multa differere incipiebat de moribus*

bus sapientis, unde non mirandum, quod sepe mores stultorum commendentur ab illis ac si essent mores sapientum, *) *Vid. cap. seq.*

§. VII.

Insipientes convenientiunt in multis, differunt modis infinitis quidem, sed qui tamen ad quædam summa genera referri possunt. †)

†) *De convenientia agitur §. 8. seq. differentia §. 54. seq.*

§. VIII.

In eo omnes convenientiunt, quod se maxime ament, unde provenit præjudicium capitale, quod se putent esse præstantissimos & sapientissimos inter omnes creaturas visibiles. *)

*) *Ergo & philosophia, que fundamenti loco ponit, hominem esse creaturam nobilissimam, stultitia est per §. 5. & 8. Plura quoad hanc observationem dixi in Cautel. circa præcogn. iurispr. c. i. n. 58. seq.*

§. IX.

Ex hoc sequitur aliud præjudicium, quod præstantiam hominis præ reliquis creaturis querant in intellectu. †)

†) *Quia videlicet homines intellectu prædicti sunt præ reliquis creaturis visibilibus.*

§. X.

Hinc sequitur aliud, quasi hominis essentia consistat in intellectu, & intellectus sit primum agens in homine.

§. XI.

Ex hoc rursus aliud, quasi unus homo habeat eandem essentiam cum homine alio, uti v. g. unus canis cum alio cane.

§. XII.

Ex hoc rursus aliud: quasi intellectus dirigat voluntatem in appetitu boni malive, & ei normam agendi præscribat, adeoque opponunt moralia naturalibus.

§. XIII.

Et porro: quasi homo habeat libertatem agendi in voluntate, & voluntas non possit cogi. *)

*) *Quia*

*) *Quia vident sibi quedam esse facilia. Ergo per præjudicium §. ii. & 12. putant, eadem etiam esse facilia reliquis.*

§. XIV.

Iterum : quasi una sit natura voluntatis humanæ, & singuli habeant unicam voluntatem.

§. XV.

Hinc vero fluit inepta explicatio distinctionis inter appetitum sensitivum & voluntatem.

§. XVI.

Ex his præjudiciis sequuntur promiscue †) alia infinita præjudicia moralia , i. e. appetitus morales intellectum impellentes, ut corrupte sentiat de natura boni vel mali.

†) *Id est, ob multitudinem & variationem, non possunt ea ulterius justo ordine recenseri.*

§. XVII.

*Præjudicium enim revera nihil aliud est, quam appetitus rei anteverens judicium intellectus boni seu liberi. *)*

*) *Id est, non patientis a præjudiciis.*

§. XVIII.

*Et quamvis dentur præjudicia , tam intellectus quam voluntatis ; jam tamen alibi †) demonstratum est, quod præjudicia autoritatis & præcipitantiæ profluant a duobus præjudiciis voluntatis , i. e. ex insipiente imitatione & impatentia , item quod ipsæ perfectiones (quæ dicuntur) facultatum intellectus, memoriarum, ingenii, judicii proveniant ex diversa dispositione voluntatum. *)*

†) *In der Ausübung der Sitten-Lehre cap. 1. *) Vid. ibid. tabellam in fine cap. 7. p. 172. seq. cap. 8. §. 2. 3. cap. 9 §. 36. seq. cap. 10. §. 28. seq. cap. 11. §. 26. seq.*

§. XIX.

Insipientes communiter querunt bonum in re, quæ potentias eorum sensibiliter afficit , & pro malo habent, vel certe pro non bono, quæ insensibiliter; quia talia omnes homines a natura appetunt, †) quæ ratio semper in seqq. est repetenda. Imo ne forte lectori tedium pariat toties frequentata stultitiae

tiæ aut insipientiæ mentio, loco insipientum ponamus homines simpliciter, quia scilicet omnes homines natura non sunt sapientes.

†) Propter connatum præjudicium impatientie.

§. XX.

Homines igitur bonum & malum magis querunt in autoritate & exemplis aliorum, quam in experientia propria.*)

*) Propter præjudicium stultæ imitationis.

§. XXI.

Unde & naturam totius hominis discunt ab aliis extra se, & horrent cognitionem sui ipsius intra se; scrutantur infinita, negligunt finita. Putant se cognoscere essentiam potentiarum primæ & potentiarum dependentium invisibilium, & non cognoscunt essentias rerum visibilium, ne quidem sui ipsius.

§. XXII.

Homines præferunt bonum partis bono totius.

§. XXIII.

Bonum positivum bono privativo, & malum privativum magis horrent, quam positivum.

§. XXIV.

Bonum extraordinarium præferunt ordinario, momentaneum diuturno. †)

†) *Divisiones bonorum §. 22. 23. 24. propositas exposui in der Einleitung zur Sitten-Lehre cap. 1.*

§. XXV.

Homines sperant impossibilia*) & metuunt facilia. †)

*) *Sperant se satiare posse affectus & ius resistere, si iis frena laxaverint.* †) *Metuunt, quod impossibilis aut certe intolerabilis sit emendatio tempestiva affectuum.*

§. XXVI.

Habent spem, metum, gaudium, tristitiam pro affectibus primariis, vel inter primarios. *)

†) *Ita communiter Aristotelici & alii. Vide Ausübung der Sitten-Lehre cap. 2.*



§. XXVII.

§. XXVII.

Potentiam primam & potentias invisibiles dependentes, vel metuunt metu servili ac superstitione & humano, vel plane non metuunt; contra potentias corporum metuunt metu divino.

§. XXVIII.

Homines sunt creduli, †) & tamen pertinaces, *) & utrumque hoc vitium nominibus virtutum præstantissimorum ornant. ††)

†) *Credunt, quæ optant, aut quæ alii ab ipsis credi desiderant.* *)

Pertinaces in disputationibus, respuendis consiliis &c. ††)

Credulitatem fidem appellant, pertinaciam dicunt esse constantiam, pietatem, zelum divinum.

§. XXIX.

Lynxes sunt in cognoscenda aliorum stultitia, talpæ in propria.

§. XXX.

Et adeo non possunt non singuli se pro prudentissimis habere & sapientissimis.

§. XXXI.

Homines sunt securi ac desperati. *)

*) *Securi, si fortuna iis favet, desperati tempore adversitatis.*

§. XXXII.

Momentaneam & sensibilem titillationem passionis dominantis, ut bonum jucundum, & privationem hujus titillationis, ut dolorem æstimant.

§. XXXIII.

Pro utili habent, quod promovet & auget passionem dominantem, pro damno, quod promovet passiones infimas, aut destruit passiones dominantes.

§. XXXIV.

Unde scrutantur inutilia, & putant summum bonum consistere in speculatione rerum omnium extra se, & cognitione veri & falsi, et si parum utilis, aut revera dannosus.

§. XXXV.

§. XXXV.

Unde statuunt, cognitionem quarumvis veritatum esse homini utilissimam, †) etsi ea utilitas non appareat, vel contrarium sensibus percipiamus.

†) Ut clarissimus Autor medicinae mentis. Adde dicta in Cautelis circa præcogn. jurispr. cap. i. §. 3. seq.

§. XXXVI.

Unde communiter sensibus propriis non fidunt, *) aut plane sibi persuadent sensus fallere, †) certe ideis plus tribuunt quam tensionibus. **)

*) Inde sæpe dicunt: *Nos credam, et si viderem.* †) Ut Cartesiani. **) Ut communiter etiam Aristotelici, ut de Platonis taceam.

§. XXXVII.

Fluit etiam exinde, quod etsi generalia aliqua & confusa cognitione cognoscant se non esse felices, omnes tamen querant acquisitionem felicitatis in destruenda passione infima.

§. XXXVIII.

Unde omnes, dum volunt acquirere felicitatem, magis promovent insipientiam & infelicitatem suam, quia elevatio passionis infimæ supprimit dominantes passiones, & contra suppressione auget dominantes.

§. XXXIX.

Omnis quietem querunt in rebus, quietem non habentibus, sed operantibus inquietem. †) Omnes sibi terminos ponunt cupidatum, & dum ad terminum istum pervenerunt, alios terminos querunt in infinitum. Sperant enim, se resistere posse cupiditatibus, si iis frena laxent, & metuunt tamen iis resistere, dum currere incipiunt. Sperant cupiditates suas se esse diminuturos, si iis indulserint, cum tamen hoc indultu majores vires assumant.

†) Vide Ausübung der Sitten-Lehre cap. 9 §. 9. seq. cap. 10. §. 4. seq. cap. 11. §. 7 seq.

§. XL.

Homines quæ maxime & fortissime appetunt, minime assequuntur, & si assequantur, mox maxime contemnunt.

§. XLI.

Ita vero omnes, dum volunt esse felices, sunt infelicissimi, & dum vitam appetunt maxime diuturnam, mortem accelerant.

§. XLII.

Quia tamen ^{f)} omnes se putant esse sapientissimos, ^{*)} ideo omnes etiam pro honesto habent, quod convenit cum passione dominante, pro inhonesto aut non honesto, quod eidem repugnat. ^{ff)}

- ^{f)} Connexionem quere in Summariis. Scilicet a §. 32. usque ad §. 50. expono flitorum conceptus erroneous de bono tam in genere, quam de variis bonorum speciebus. ^{*)} Per dicta §. 30.
- ^{ff)} Unde & singuli homines fluitriam aliorum & turpitudinem vivis coloribus depingunt, se vero honestos arbitrantur.

§. XLIII.

Ex eadem ratione gestiunt aliis vivendi regulas præscribere, & quidem tales, quas sibi ipsis præscriperunt.

§. XLIV.

Gaudent adeo omnes, si alii eorum consilia sequantur, dolent & salutem Græciæ pati putant, si non attendantur.

§. XLV.

Omnes tamen querunt consilia ab aliis, & quosdam, quos imitentur, tanquam sapientiores sibi proponunt. Non tamen sequuntur consilia data, nisi quatenus convenient cum passionibus dominantibus.

§. XLVI.

Porro quia sapientissimorum bona inter reliqua sunt præstantissima, omne vero quod præstantissimum est, decorum est, inde homines id, quod convenit cum passionibus suis dominantibus, habent unice pro decoro, quod eis repugnat, pro indecoro.

§. XLVII.

§. XLVII.

Sed cum omne decorum pulcrum sit, hinc id hominibus pulcrum est, quod convenit cum passione dominante, & ita suum cuique pulcrum.

*) Habet hic causam, cur conceptus pulcri & definitio sit tam difficultis. Plato in Phædro & Hippætia majore de pulcro voluit agere, (ut & in Convivio) sed nil minus ibi egit, quam ut naturam pulcri exposuerit. Imo Phædrus totus metaphysicus, mysticus, imo phantasticus & enthousiasticus est, ut mirarer, quod fieri potuerit, ut tot viri graves inter Christianos, (etiam bodienum inter Protestantes) per tot secula, nugas Platonis tantum adorare potuerint, nisi scirem, bodienum pene totum orbem, qui Christianus dici vult, magis Augustinianum quam Christianum esse. At Augustinus fuit Platonis admirator.

§. XLVIII.

Ergo cum ex hac tenus dictis †) pateat, quod eadem sit definitio boni, quod hominibus jucundum, utile, honestum, decorum, pulcrum videtur, nempe quod eorum passionem dominantem auget, vel non minuit, patet unum idemque bonum hominibus simul jucundum, simul utile, simul honestum, simul decorum, simul pulcrum videri.

†) Nimirum §. 32, 33, 42, 46, 47.

§. XLIX.

Id tamen nota, per passionem dominantem hic *) non solum intelligi, quæ natura & per dies vita dominans est, sed & inferiorem, †) quæ per vires potentiarum externalium valde excitatur, & ita ad momentum dominatur, etiam passiōni dominanti, sed mox irritatione cessante in ordinem suum reddit. **)

*) Id est, in questione de conceptu boni: Nam alias regulariter passio dominans sumitur in primo significatu. †) Id est, propiorem dominanti, non plane infimam. Nam eti infima quandoque, si excitetur, etiam hominem abripiat, ut, id quod hac tenus pro malo habuit, pro magno bono habeat, tamen ille conceptus novus boni est saltem momentaneus, cum cessante irrita-

irritatione externa, mox naturaliter statim sequatur redditus ad conceptus priores de bono & malo, & pœnitentia mutata opinio-
nis. Cum vero homines communibus erroribus imbuti, & no-
titiā fere sui negligentes, naturalia a supernaturib[us] accura-
te distinguere non noverint, hinc communiter ejusmodi irritatio-
nes extmordinariæ passionum intimarum ex causis naturalibus
provenientes, adscribuntur causis supernaturalibus & tentatio-
nibus immediate diabolicis. *) Sed tamen non dete-
statur illud bonum, ad quod abripiebatur paululum extra or-
dinem (uti in casu modo memorio fieri diximus) nec pœni-
tentia afficitur, præprimis si passio media per exempla frequen-
tia & consuetudinem illius loci s[ecundu]s iurius irritetur.

§. L.

Tales irritationes earumque cessationes vero cum sint quotidianæ, inde sequitur, quod omnes stulti sint quidem con-
stantes in stultitia, sed inconstantes maxime & varii etiam in
æstimandis bonis & malis. Hinc quod jam volunt, jam no-
lunt, ita ut revera nesciant, quid velint, nec habeant constan-
tem conceptum jucundi, utilis, honesti, decori, pulcri.

§. LI.

Hinc omnes *) affectant libertatem, & simul tamen
omnes amant servitutem.

*) Pro diversitate tamen passionum dominantium, unus magis quam
alter. Unde que in hoc paragrapbo dicuntur potissimum decla-
mari possunt per exempla hominum voluptati deditorum, dicta
paragrapbo sequente magis respiciunt ambitiosos, & §. 53. avaros.

§. LII.

Omnis volunt imperare aliis, idque vel vi, vel clam, vel
precario; & tamen omnes amant servire vel vi, vel clam, vel
precario. †) Omnes volunt; ut alii ipsos imitentur, & omnes
tamen imitantur alios.

†) Vipotissimum avari, clam voluptuosi, precario ambitiosi.

§. LIII.

Omnis amant proprietatem rerum, & omnes tamen de-
siderant bona aliorum sibi usū esse communia. Omnes appe-
tunt

tunt usum bonorum alienorum, propria vero tanquam quotidiana ipsis vilescunt. Hinc infinita commercia.

§. LIV.

Igitur homines, etiam qui unanimis sunt in stultitia, revera tamen non sunt unanimis inter se, quia cupiditates stultæ ne quidem in singulis sunt sibimet ipsis unanimis. Ergo per hanc ipsam unanimitatem saepe inter se pugnant, raro se adjuvant. †)

†) *V. g. duo voluptuosirivales, duo ambitiosi competitores, duo avariciemtores &c. Unde idem velle & idem nolle non semper character amicitia; si idem concipiatis saltem objective, & non sub intelligas complacentiam.*

§. LV.

Itaque status naturalis hominum omnium accurate loquendo nec status belli est, nec status pacis, sed confusum chaos ex utroque, plus tamen participans de statu belli, quam de statu pacis. *)

*) *Sic medium teneo viam inter Hobbesianos, & Scholastico-Aristotelicos.*

§. LVI.

Cum tamen semina quædam pacis, et si satis tenuia, sint in universis hominibus; hinc homines, et si ad bellum sint magis proni, quam ad statum pacis, ad hanc tamen non sunt plane inepti, si eo ducantur debite a potentissimis externis.

§. LVII.

Sensibilior tamen est eorum pugna, si percurramus hominum differentias. Fontes vero tam hactenus memoratarum convenientiarum, quam reliquarum omnium differentiarum inter homines cum sint ipsæ tres voluntates dominantes, ostendenda paucis ipsarum inter se convenientiæ & differentiæ. †)

†) *Quæ in §§. tribus sequentibus proponuntur convenientiae & differentiae, eas vide in uno conspectu in der Ausübung der Sitten-Lehre c. 7. in fine p. 172. seq. (juncta tabella in media tu de Prudentia consultatoria post cap. 4.) Commentarii vero loco esse possunt fusiū dicta in cap. 8. 9. 10. II. der Ausübung.*

§. LVIII.

§. LVIII.

Convenit voluptas cum ambitione, quod ad profusionem opum erga alios inclinet, facile iram suscipiat, mendacia fugiat; &c. differt, quod sit garrula, infamis, meticulosa, ebria, gulosa, libidinosa, prodiga, mollis, ignava, cum contra ambitio sit taciturna, gloria, audax, sobria, temperans, abstinentis, magnifica, parca, pertinax, laboriosa &c.

§. LIX.

Convenit ambitio cum avaritia, quod sit dissimulans, taciturna, sobria, temperans, abstinentis, pertinax, laboriosa; differt, quod avaritia sit mendax, simulans, tenax, jactans, desperabunda, timida, crudelis, misanthropos, sordida, invida &c.

§. LX.

Convenit avaritia cum voluptate, quod sit jactans, servilis, timida, infamis; differt, quod sit sordida, patiens, crudelis, misogynia, invida, laboriosa &c.

§. LXI.

Etsi vero dictum fuerit supra, nullum metum connatum dari, & jam afferatur, voluptatem & avaritiam natura esse timidam & meticulosam, *) hoc tamen non ita intelligendum est, quasi voluptas & avaritia nullam habeant plane spem connotam, sed quod spes connata ipsarum sit parva & imbecillis potentiaz, cum contra spes ambitionis sit magna.

*) Distingue etiam inter metuere & meticulosum esse.

§. LXII.

Qui voluptate abundant, ingenio pollent, qui ambitione, judicio, qui avaritia, memoria: etsi singulæ passiones in rebus, quæ ad sustentationem & augmenta earum pertinent, & ingenium & judicium & memoriam exerceant. †)

†) Repete jam notata ad §. 18.

§. LXIII.

Ex dictis profluit, *) quod alii homines magis creduli sint & superstitionis aliis, alii magis increduli aut magis athei.

*) Hi mores diversi usque ad §. 70. non possunt adscribi certis passionibus dominantibus, sed pro diversitate circumstantiarum duabus

duabus vel etiam tribus passionibus dominantibus s^epe communes sunt. Dicta confirmat quotidiana experientia. Unde doleo, quod viri quidam eruditⁱ veritatem magis in speculationibus abstractis, quam in sensu communi querentes etiam harum variationum singulas certis affectibus dominantibus adscribere voluerint.

§. LXIV.

Alii magis subjacent entusiasmo, alii magis subtilitatis ratiocinationum nimis in errores deducuntur.

§. LXV.

Alii magis audiunt rationes, alii in erroribus sunt pertinaces irrationabiliter, hanc tamen pertinaciam suam virtutis nomine palliant, †) & in rationem tanquam in vitium maximum declamat.

†) *Repete notata ad §. 28.*

§. LXVI.

Rursus alii in inquisitione & retentione veritatis sunt maxime fluctuantes & inconstantes ac impatientes meditationum propriarum; alii in profundis meditationibus constantissimi. *)

*) *Ut Cartesius, Hobbesius &c.*

§. LXVII.

Alii nascuntur Poëtæ, alii Oratores, alii Artifices, alii Mathematici, Physici profundi &c. i. e. ad has artes & scientias a natura †) alii sunt aptissimi, alii ineptissimi.

†) *Nam ad artificem duo requiruntur, natura & doctrina.*

§. LXVIII.

Alii magis adhærent autoritati aliorum, alii magis amant præcipitantiam experientiarum propriarum.

§. LXIX.

Alii magis ad speculandum, alii magis ad negotia gerenda apti sunt, & inclinant. Et horum rursus alii ad consilia danda, alii ad exequendum, alii ad utrumque *) sunt aptissimi.

*) *Ut apud Gallos Bassompetrus. Videatur le Vassor Tomo 4. &c. s. passim.*

P

§. LXX,

§. LXX.

Voluptas peperit bonum jucundum, quod nec utile, nec honestum est; avaritia bonum utile, quod nec honestum nec jucundum est; ambitio bonum honestum, quod nec jucundum nec utile est.

§. LXXI.

Ergo jucunditas eminenter prædicatur de deleßatione sensuum, utilitas de divitiis; honestas de actionibus laudem & honorem parantibus. Pulcritudo eminenter prædicatur de objectis voluptatis; decorum de objecto ambitionis. †)

†) *Avaritia, (forte quia se omnium maxime occultare solet) non queſivit novum prædicatum objecti ſui, ſed reliqua prædicta omnia objecto ſuo, id eft, divitiis, applicat.*

§. LXXII.

Ambitio peperit imperium *) ac servitutem; avaritia proprietatem ac permutationes; †) indecorum ac inutilem libertatem & communionem amat voluptas.

*) *Herile ac civile excepto paterno,* †) *Hec expunge, & loco eorum ſcribe: Avaritia divitias & paupertatem, item commercia rerum superfluarum.*

§. LXXIII.

Fluit & ab hac paſionum mixtura, quod alii ſint eruditi, alii stupidii vel idiotæ. Ex his eruditii ſtulti majores ſtulti ſunt, quam reliqui, quia magis pertinaciter *) ſe habent pro ſapien- tibus quam reliqui, & quia ſapientiam ipſimet contra rei naturam separarunt a prudentia. †)

*) *Probat hoc experientia omnium emendationum, ſive in religione, ſive in aliis quibuscunque facultatibus & disciplinis.* †) *Nam apud Aristotelicos ſapientia eft habitus Theoreticus, prudentia Practicus. Et Metaphysica vulgaris habetur pro ſapientia, qua tamen eft regnum ſtultorum maxime noxiōrum.*

§. LXXIV.

Alii ſunt divites, alii pauperes. Alii potentes, i.e. in ma- gno honore poſiti, alii humiles, viles vel infames. Ex illis di- vites & potentes difficilius a ſtultitia retrotrahuntur, quia & diffi-

difficilius stultitiam propriam cognoscunt, & quia a pauperibus & humilibus ipsis perpetuo adulantibus impediuntur, ut in agnitione propriæ stultitiz non magnos faciant progressus.

§. LXXV.

Non tamen propterea eruditio divitiæ, potentia, per se stultos faciunt, neque ad sapientem requiritur præcise, ut sit stupidus aut idiota, pauper & conditionis abjectæ. Qui in his sapientiam quærunt, sunt stultissimi, quia plerumque laborant ambitione maxime ridicula & avaritia sordidissima, *) & eo magis incorrigibiles sunt, quo magis persuadent sibi & aliis, in his consistere sanctitatem morum & eminentiam veræ virtutis.

*) Horum passiones dominantes plerumque sunt avaritia & voluptas inter se commixte.

§. LXXVI.

Igitur & sapiens potest esse eruditus. Imo eruditione, experientia & meditatione constante opus habet ad promovendam suam ac aliorum salutem. Divites vero & potentes multo, plures occasiones habent aliis inserviendi eorumque benevolentiam, quæ fundamentum emendationis est, sibi acquirendi, iisque rursus tanquam instrumentis utendi ad promovendam utilitatem communem.

§. LXXVII.

Neque enim putandum est, passiones dominantes ita simpliciter & extreme malas esse, †) ut non possint dirigi ad vere bonum finem, h. e. ut non poscit quis iis uti ad promovendam tranquillitatem & felicitatem veram. *)

†) *Nam excessus cupiditatis in illis vitium est.* *) *Ergo illi qui a natura prediti sunt temperamento minus noxio vel stulto, etiam hoc intuitu reliquos, quorum temperamentum magis noxiunus aut ridiculum est, non debent contempnere.*

§. LXXVIII.

Lubrica est voluptas & inconstans in emendatione appetenda & promovenda, sed est tamen sincerior, & uti ab aliis facile agnosciatur, ita & stultitiam suam omnium promptissime

agnoscit. Sine voluptatis hilaritate porro torperet animus, frigesceret amicitia ac amor conjugalis &c.

LXXIX.

Difficilis est ambitio in cognoscenda stultitia suæ cupi-
dinis, & si particulam aliquam agnoverit, facillime fallitur in
applicanda cura; sed potest tamen poliri & emendari ac mo-
derari, ut inde oriatur constantia, magnanimitas, temperantia,
prudentia: Quin & sine ejus igniculis & metu turpitudinis
non potest naturaliter mitigari aut avaritia aut voluptas, & nul-
lum negotium difficile inter homines suscipi.

§. LXXX.

Avaritia etsi facillime cognoscat turpitudinem suam in
aliis, maxime tamen hominem impedit, ne propriam sentiat,
seque infinitis modis sub temperantia aliisque virtutum no-
minibus occultat. Interim sensus communis docet, hac cu-
pidine moderari profusionem voluptatis & ambitionis, re-
primi voluptatis libidinem, gulam, ebrietatem, ambitionis iram
impetuosa & audaciam, & sine frigiditate avaritiz nullum
negotium serium geri posse.

§. LXXXI.

Mixtura vero duarum passionum adhuc sensibilius ostendit, ad quid usui esse possint. Mixtura voluptatis & ambitio-
nis character est †) doctorum sapientiaz, legislatorum pruden-
tum, militum circumspectorum, qui ad negotia pacis & belli,
seria & hilaria apti nati sunt. Non tamen multum apti sunt *)
ad amplianda per artes bellicas regna & ad mutationem status
publici: porro facile succumbunt temptationibus foemini-
sexus, non sunt apti ad negotia, quæ plurimum taciturni-
tatis ac simulationis requirunt.

†) E.g. David, Salomo, (In illo ambitio, in hoc voluptas, emine-
bat.) Julius Cæsar, Augustus, Cardinalis Comendon &c. *)
Neque tamen sunt plane inepti, exemplo Juli Cæsaris.

§. LXXXII.

Mixtura ambitionis & avaritiae quamvis prona sit ad hy-
pocrisyn, tyrannidem, visiones †) &c, est tamen character he-
roum,

roum,*) censorum morum,††) qui apti nati sunt ad mutationes status publici, ad fundanda nova imperia, ad reformationes morum & in genere ad negotia arcana, gravia & seria.

†) *Cogita exempla Saulis, Jeroboami, Tiberii &c.* *) *V. g. ultimi regis Angliae Wilhelmi.* ††) *Huc pertinent Caro Cen-sorius, Hieronymus & alii similes Episcopi, (Augustinus tamen, item Moses, ad quam classem referendi sint, profundius erit co-gitandum) ex novioribus temporibus Cardinalis Ximenes.*

§. LXXXIII.

Mixtura avaritiae & voluptatis et si videatur esse omnium miserrima, si conjuncta sit cum paupertate & vilitate, & maxime noxia aliis hominibus, si conjuncta sit cum potentia ac divitiis, ac sit character histrionum & tyrannorum *) crudelissimorum, qui ne quidem potentiam ac divitias conservare norunt, †) cum tamen & pauperibus ac vilibus opus habeant divites ac potentes, saltem boni servi sunt, **) et si sunt ad imperium ineptissimi.

†) *Vel regum pedantice Grammaticorum. Commentarii loco erit Larrei vita Jacobi I. Regis Magnae Brit.* ††) *Ue Rehabeam Caligula, Heliogabalus.* **) *Quod de Caligula sub imperio Tiberii, ni fallor, narrat Suetonius,*

§. LXXXIV.

Ita nullus homo tam miser & tam stultus est, qui non possit adhiberi a prudentibus ad utilitatem communem hominum.

§. LXXXV.

Alterantur †) etiam passiones dominantes aetatis hominum & climate cœli diverso, item educatione. Ita aetas juvenilis sanguine ebulliente praedita voluptatis temptationibus subjecta est. Est tamen in ea robur ac vigor corporis, & aptitudine pollet ad festivitates & pompas, ad quas plus ingenii ac hilari-tatis, quam judicii & gravitatis requiritur.

†) *Non mutantur, per ea, que docui in der Ausübung der Sitzen-Lehre cap. 12. §. 53. seq.* *) *Exempli loco potest esse origo Aedilium Curulium, de qua vide, quæ dixi lib. 1. de navis Jurispr. Ante Justin. cap. 8. p. 84. seq.*

§. LXXXVI.

Ætas virilis subjacet quidem temptationibus ambitionis, sed ad perfectionem & æquilibrium virium animi ac corporis ad imperium est convenientissima, & ad negotia pacis & belli, & dirienda, & gerenda.

§. LXXXVII.

Senectus frigida ad avaritiam aliquo modo inclinare videtur. Sed pollet experientia diurna, gustavit vanitates stultitiae cuiuscunque ad consilia & festivitates, quæ plus gravitatis, venerationis & justitiae requirunt, est aptissima.

§. LXXXVIII.

Ita & partim cœli genius, partim educatio efficit, ut aper-te deprehendamus mores maxime variantes in populis orientalibus & occidentalibus, Africanis & Europæis, Asiaticis, Americanis, Hispanis, Gallis, Germanis, Italies, Britannis, Hungaros, Polonis, Bohemis, Septentrionalibus &c. quæ jam alibi †) distinctius sunt ostensa.

†) In peculiaribus Schedis MSC. occasione earum, que Pufendorffius in der Einleitung zur Historie in singulis capitibus de singularum nationum moribus annotavit. Possunt etiam ex Scaligerianis nonnulla hic pertinentia legi, sub vocibus Allemans p. 14. Angleterre circa finem p. 21. Armeni p. 32. Batavi p. 49. Espagnols p. 144. France p. 157. seq. Geneve p. 165. seq. Germani p. 169. Græci p. 175. Hollande p. 195. Italiens p. 214. Judæi p. 215. Leyde p. 236. Lubec p. 248. Mahometans p. 252. Persæ p. 307. Peuples p. 309. Silesii p. 372. Sodomites p. 373. Solodurii p. 374. Suisses p. 379. Turcs p. 399. Veneti p. 402. Utrecht p. 413. Sed multa ibi allata censuram merentur, cum Scaliger pene omnes populos & nationes habeat pro barbaris.

CAPUT IV.

DE

NORMIS ACTIONUM HU-
MANARUM, CONSILIO
ET IMPERIO.

SUMMARIA.

*Varios hominum mores opus habere norma 1, adeoque hanc normæ ne-
cessitatem non probare præstantiam hominis, sed miseriam. 2. Sed
cum stultus stulto normam dare nequeat, ubi invenietur sapiens
inter stultos? 3. Falsus character sapientis secundum Philo-
sophiam Stoicam, 4. signa evidensia cognoscendi hos pseudo sapien-
tes. 5. Inter stultos minimum haberi loco sapientis. Experien-
tiæ & meditationem esse affectiones sapientis. 6. Quosdam ho-
mines magis aptos esse ad sapientiam acquirendam alii, 7. v.g.
senes & viros juvenibus. (8. Causa, cur tamen dentur senes riaxi-
me stulti?) 9. ambitiōsos avaris & voluptati deditis. 10. Mixtu-
rum avaritia & voluptatis facere ineptissimos ad sapientiam, 11.
mixturam avaritiae & ambitionis non ita ineptos reddere, 12.
mixturam ambitionis & voluptatis esse characterem primarium
aptorum præ reliquis ad sapientiam, 13. conjunctam cum erate
provecta. 14. Conscientiam cuiusvis propriam non posse esse nor-
mam actionum, 15. (Et Scholasticorum principia connata non
dari, 16.) quia sic extarent normæ infinitæ. 17. Inutilitas li-
brorum, qui tractant casus conscientie. 18. Etiam secundum sen-
tentiam communem, solam rectam conscientiam debere esse nor-
mam. 19. Pro conscientia recta ubique haberi dominantem, pau-
corum & minus potentum ubique pro erronea haberi. 20. Regulam
de conscientia recta & erronea nullum præbere usum vitæ, 21.
Regulam de emendatione conscientie erroneæ. 22. 23. partim tolle-
re sententiam communem, 24. parum firmare sententiam nostram,
25. par-*

25. partim rem dubiam magis reddere dubiam & intricatam. 26.
 27. De conscientia dubia scrupulosa, 28. regulas etiam nullius
 esse usus, 29. 30. ut & aliam regulam de conscientia erronea, 31.
 Norma duplex, qua sapiens utitur erga stultos; consilium & im-
 perium. 32. Horum duorum communis differentia a prudentia
 judiciali. 33. Ultraque norma respicit singulos vel plures. 34.
 Utique excitat spem & metum insipientum. 35. Sapientum bonum,
 honestum, jucundum, utile. 36. Conjunctione horum bonorum.
 37. Frustranea disputatio, honestatem non metiendam ex
 utilitate aut suavitate vite. Inepta methodus, stultos velle alli-
 re propositione dolorum & virtutum inutilium. 38. Ita similiter in
 examine veri boni conjugendam philautiam & amicitiam. 39.
 Ut in inquisitione veri fontes errorum praeципue orti sunt ex inepta
 oppositione & subordinatione sensionum & idearum: 40. Ita in
 doctrina morali fontes errorum esse oppositionem vel subordinatio-
 nem philautie & amicitiae. 41. Sapientum philautiam & amicitiam
 esse parallelas. 42. Dantur etiam stulta imperia & consilia. 43.
 Quomodo ista sint secernenda. 44. Aliquot observationes ea de re.
 45. Sapiens in consiliis & imperio magis respicit ad capacitatem
 stultorum, quam propriam, 46. non tamen sequitur eorum stulti-
 tam. 47. Stultitia communis in ipsa consultatione aliorum; 48.
 Sapiens ostendere laborem stultis, normam esse uitalem. 49. Consu-
 lens debet respicere utilitatem alterius. Imperans etiam primario
 respicere potest propriam. 50. Consilium supponit paritatem, (vel
 saltem ab imperio abstractum) imperium superioritatem. 51. Con-
 silium ostendit bona & mala necessaria, 52. imperium arbitraria.
 54. Illud non habet vim cogendi, hoc habet. 55. Illud rationes
 dat, hoc supponit. 56. Vis cogendi quid? 57. ejus differentia a
 coactione obligationis. 58. Sensus dicti: Consilium non obligare.
 59. Differentia vis mere & obligationis. 60. Obligatio vel inter-
 navel externa. 61. Illa consilii, hæc imperii. 62. Hæc propria-
 ria habetur a stultis; 63 illa a sapientibus. 64. Stulti reguntur im-
 perio, sapientes consilio. 65. Diviso similis premii & pœna. 66.
 Virtus sui ipsius premium. 67. Proprie premium & pœna, sunt
 externa. 68. Metus sapientis internorum, stulti externalorum. 69.
Stultus

Stultus magis formidat pñnam, sapiens carentiam boni. 70. Stultos metuere sþpe dolores & potentias imaginarias. 71. Sapientes uti hac imaginatione ad emendandos stultos. 72. Norma intendit ut stulti ducantur ad quietem internam & pacem externam. 73. Tres stultorum gradus, Maximi, qui turbant pacem externam. Adversus hos opus imperio. 74. Medi, qui pacem externam non augent, adversus quos & consilio & imperio opus. 75. Minimi, qui non sentiunt pacem internam. His saltem consilio opus. 76. Necesitas utriusque normæ in societate. 77. Singula norma requirunt totum hominem. 78. Consulentis & impensis personam difficile cadere in unum hominem. 79. Doctores debere esse sub imperio Principum. 80. Sapientes sunt sibi subordinati. 81. Mutuum officium Doctoris & Principis. 82. Eorum mutua inter se correctio. 83. Character Doctoris, Principis, civis boni, 84. anticipis, 85. mali. 86. Actiones bona, male. 87. Mediæ diverso respectu bona & male. 88. Triplicis boni fontes, honesti, decori, justi. 89. Horum bonorum triplex respectus ad actiones stultorum. 90. Non sunt tamen separanda, sepissime unum pro altero accipitur. 91. Ultriusque normæ cum pacto 92. convenientia. 93. Pacti differencia a consilio, 94. 95. ab imperio, 96. ab utroque, 97. Pactum nunquam per se obligat. 98.

§. I.

DIta haec tenus ostendunt, normam actionibus humanis esse necessariam, cum maxima damna sint oritura inter homines, si quilibet ageret secundum instinctum proprium tot infinitis modis instinctui aliorum repugnantem, & revera oritura esset parvo temporis spatio bellum omnium contra omnes. Exemplum cape, si quis furiosos homines plures relinquere sine magistro & vinculis libere inter se agere.

§. II.

Simul vero ostendunt, insignem errorem esse, quando communiter ex hac necessitate normæ eruditæ demonstrare volunt præstantiam hominis præ reliquis creaturis, cum potius inde



inde demonstretur summa hominum miseria & communis illa doctrina profluat ex erronea illa & interna libertate voluntatis.

§. III.

Sed quis jam normam dabit? An stultus stulto eam præscribet? Minime; sed si omnes natura stulti, unde desumemus sapientem? gravis profecto & capitalis quæstio. Omnes se putant sapientes: omnes tamen stulti sunt: etiam stultissimum esse diximus, (*c.3. §.5.) qui propriam stultitiam non agnoscit. Quomodo ergo sapientes agnoscemus? An stulti denominabunt? An ipse se sapientem esse dicet? An credent stulti?

§. IV.

Hic ante omnia cavenda communis doctrina eruditorum & praxis. Regnavit fere perpetuo Stoicismus. *) Stoici incredibilia & maxime stulta prædicabant de sapiente suo. †) Erant tamen ejus modestiæ, ut subinde faterentur, sapientem hunc non dari. At in praxi etsi nemo dicat se esse illum sapientem, plurimi tamen in potentia & autoritate constituti actionibus suis ostendunt, quod soli velint sapientes videri, quia alios omnes pro stultis habent, tam verbis quam opere, quia se ubique obtrudunt ad normas ejusmodi vivendi aliis præscribendas; quia superiora & inferiora commovent, si quis non omnes actiones eorum, etsi minutissimas & vilissimas, imitetur; ac quia denique, qui eorum simiæ saltem esse affectant, solos pro sapientibus venditant, aliisque commendant.

*) In prioribus enim post Christum natum seculis plerique Patres erant vel Stoici vel Platonici. Vide Cautel, circa præcogn. jurispr. cap. 6. §. 68. seq. & circa præcogn. Jurispr. Eccles. cap. 11. §. 14. At Papatus ex ipsis Patribus suum dominatum pseudo spiritualem stabilivit. †) Vide Senecam passim, item Lipsii introduct. ad Philos. Stoic. Epicureorum dicta de sapiente, in quibusdam sunt mitiora & humaniora. Vide Gassendi Animadvers. ad 10. libr. Laertii Tom. 2. fol. 3. seq.

§. V.

§. V.

Hos tu Romane caveto. Cœcus cœcum. Vis characterem? Attende, an omnem stultitiam emendent, vel emendare intendant, an solam voluptatem? An placidi sint, benevoli, mites, †) humiles, flexiles, an misereantur stultorum? An non potius sint immites, iracundi, pertinaces, austeri, misanthropi &c. Hic enim est character Stoicorum sapientum, & qui hos maxime imitabantur, Pharisaeorum. *)

†) *Vel si extrinsecus appareant benevoli, mites, humiles &c. an ita se gerant erga quosvis, an saltem erga divites & potentes.*
 *) *Confer de cavenda falsa sapientia Stoica Arnoldi Retzer Historie Parte III. cap. 8. §. 2. 3. 4. p. 73. Adde quæ dixi de Prudent. Consultat. cap. 5. §. 12. seq. item §. 27. 28. & cap. 8. §. 5.*

§. VI.

Sed ubi jam deprehendemus sapientes? inter cœcos luscus: an nescis? experientia stultorum magistra. Sed multi experiuntur, nec stultitiam deponunt. Nam experientia saltem sensio est. Ad sapientiam vero & experientia & meditatio requiritur. Meditatio sine experientia boni & mali est vana eruditio, quæ stultitiam auget, non minuit. Experientia sine meditatione prodesse quidem potest ad depositionem propriæ stultizæ, nam & sic bestiæ & infantes emendantur, at hoc non sufficit ad prudentiam aliis normam præscribendi.

§. VII.

Etsi igitur de nullius hominis emendatione & acquisitione sapientizæ, qualis in homines cadit, sit desperandum, & nullus etiam sit, qui tam stabilis sit in sapientia, quin possit ad stultitiam relabi, sunt tamen quædam hominum genera magis apta ad sapientiam, quædam minus.

§. VIII.

De senibus nemo dubitat, †) quia apertum est, hos experientia reliquas ætates præcellere. Juvenes contra, cum experientia adhuc destituantur, omnium minime apti sunt. Viri adultæ ætatis in medio sunt positi propter experientiam medium.

Q₂†) *Sci-*

†) *Scilicet quod sint plerumque prudentiores & sapientiores junioribus, ob rationes hic dictas, non vero quod sint aptiores juvenibus ad emendationem stultitiae, si emendationem ad senectutem differant, per ea, que docui in der Ausübung der Sitten Lehre cap. 14. §. 30.*

§. IX.

*Cur vero etiam senes stulti aut non sapientes dentur, (*potissimum) in causa est, quod temperamentum eorum maxime vitiosum eos impedit, ne experientia hac utantur ad justam meditationem, sed per id impellantur ad meditationem rerum plane inutilium & stultarum, vel certe ad non sufficientem meditationem naturæ humanæ & diversarum ejus inclinationum.*

**) Adjeci potissimum, quia etiam adsuetudio, consuetudo, & mala aliorum exempla, item carentia adversitatum possunt impedire homines feliciore temperamento præditos, ut & hi in senectute sint vitiosiores junioribus.*

§. X.

Inter eos enim, apud quos eminet una ex tribus voluntatibus primariis, illi, apud quos prævalet voluptas, habent maxime fluctuantes & inconstantes meditationes; apud quos prævalet avaritia, ii destituuntur omnium maxime judicio ad solidam meditationem boni & mali necessario; apud quos eminet ambitio, etsi non sint summe apti ad sapientiam & prudentiam, quia sæpe impediuntur nimis effervescente ira ac vindicta, magis tamen apti sunt, quam priores, quia magis pollent judicio.

§. XI.

*Qui magnam mixturam habent voluptatis & avaritiae, ut omnium miserrimi sunt, † ita omnium ineptissimi sunt ad sapientiam, cum non nisi per *) raptus quosdam irregulares evadere soleant summos stultitiae gradus. Sic †† tamen, ut regulariter ipsis adhæreat aliquid phantastici in ipsa emendatione & sæpe ad enthusiasmum dilabantur.*

†) *Character (ex eruditis) pedantum, Criticorum vulgarium, lite-*

ras & syllabas rodentium, Thrasonum, adulatorum palpabilium &c. *) In prima editione scriptum erat, per miraculum & assistentiam extraordinariam potentiae invisibilis & divinæ. ††) Hic versiculus etiam non extat in prima editione.

§. XII.

Qui mixturam habent avaritiae & ambitionis, *) et si ipsi longe facilius evadere possint communem stultitiam, intuitu actionum propriarum, †) valde tamen proni sunt in corrigendis aliis ad Stoicismum supra notatum.

*) *Character Metaphysicorum, Hæreticum &c.*

†) *Scil. ad voluptatem inclinantum.*

§. XIII.

Denique qui voluptate, ambitione temperata pollent, ad regendos alios & normam iis praescribendam sunt aptissimi, quia jam alibi *) ostensum est, quod mixtura voluptatis valde temperet excessus ambitionis, & mixtura ambitionis temperet excessus voluptatis, ita ut ex hac mixtura maximæ oriantur virtutes, quarum homines natura sunt capaces; item quod hæc mixtura gignat excellentiam ingenii & judicii ac placidam & humilem tolerantiam ac amorem infirmorum.

*) *Vide Ausübung der Sitten-Lehre cap. 12. n. 3. 4. 5.*

Ubi tamen jam emendandum est in §. 3. quod ibi dixemus, hanc mixturam producere saltem virtutes apparentes, quia videlicet tum abduc putabam, amorem rationalem esse separatum & quartum affectum, & quia tum credebam virtutes supernaturales saltem esse veras.

§. XIV.

Et testatur experientia, quod tales homines, si justam æstatem aut senectutem attigerint, soleant esse sapientissimi inter alios homines. †)

†) *E. g. Salomon,*

§. XV.

Solet equidem frequenter inculcari, quod in formanda norma actionum humanarum cuiuslibet conscientia debeat præprimis adhiberi, *) quia singuli homines habeant principia

pia connata boni & mali. Sed hic quidem modus si attentius consideretur, est admodum lubricus & insufficiens, ne quid gravius dicam.

*) Posset quidem hoc dictum tolerari, si is ejus esset sensus, quod in emendatione & informatione quilibet debeat doctrinam sapientiae proprio intellectu capere & non dependere a dictis aliorum non intellectis.

§. XVI.

Jam enim alibi † ostensum est, quod illa doctrina de principiis connatis, prout a Scholasticis exponitur, omni fundamento veritatis destituatur

†) Vid. Inst. Jur. Div. lib. 1. cap. 2. §. 62. 68. 69. p. 73. seq. Latius contra hec principia connata disputat Lookius in tractatu de intellectu.

§. XVII.

Accedunt alia infinita rationes. Etenim *) conscientia communi consensu est cuiuslibet hominis judicium singulare intellectus proprii de bono & malo. Cum vero demonstratum sit, singulos homines a natura habere diversissima & opposita judicia de bono & malo, sequitur enim necessario, quod hoc modo evasuræ sint normæ diversissimæ & oppositæ.

*) Conf. Instit. J. D. l. 1. c. 1. §. 56. seq. p. 21.

§. XVIII.

Hinc est, quod inter Autores, qui casus conscientia scripsérunt, infinita dentur dissensiones, †) & tales libri non maiorem habeant utilitatem, quam ut ex illis cognosci possint passiones dominantes ipsorum scriptorum.

†) Quicunque ante reformationem scripsérunt de conscientia, nugas scripsérunt, sive propositiones obscuras, petentes principium, & pessime coharentes. Interim, quamvis regulæ ille de conscientia absurdæ sint, utiles tamen fuere Clero ad acquirendum dominatum in Laicos, eo enim omnes tendunt. Vide omnino notas ad Pufend. de Monarch. Papali p. 263. seq. ubi p. 266. dixi, quid sentiendum sit de Taylor doctore dubitantium. In discursu etiam dicendum de Danhaueri & Roberti Sandersonii seripeis ad caput

put de conscientia pertinenibus. Videlicet Theologi Protestantes, non sentientes arcana dominatus Clericalis sub ista doctrina Pontificiorum latentia, bona side eam repetierunt.

§. XIX.

Accedit, quod unanimi consensu conscientia, quatenus debet esse norma actionum futurarum, *) dividatur in rectam, erroneam, dubiam, †) scrupulosam &c. & quod communis consensu doceatur, solam rectam conscientiam normam agendi esse debere.

*) *Unde dividi solet conscientia in antecedentem & consequentem, posterior in bonam & malam. Vid. Inst. J. D. lib. 1. cap. 1. §. 62. Sed tamen nec sub hac distinctione latet character sapientiae vel stultitiae. Nec in hujus divisionis explicatione multum sani docentes Doctores, cum hic immisceant etiam conscientiam dormientem, adeoque tota haec distinctio magis propter obscuritatem confundat, quam ut eruditat. †) Addenda etiam est doctrina de conscientia probabili, & de probabilismo Jesuitico, deque literis Montaltii & reliquis pro & contra eum scriptis.*

§. XX.

Hinc igitur nova dubia; singuli putant, suam conscientiam esse rectam. Quis igitur hic iudex erit? In praxi quotidiana illa conscientia recta est, quæ convenit cum judicio plurium in societate vel eorum, qui alios eminent potentia. Unde facile contingit, quod conscientia recta in hac societate, habeatur pro erronea in altera. At nos querimus normam universalem in omnibus societatibus.

§. XXI.

Hinc sua sponte sequitur, regulam de conscientia recta (quod recte faciat, qui secundum eam agat, peccet, qui contra agit) recte se quidem habere in speculatione abstracta, nullius tamen esse usus in meditatione applicata seu praxi.

§. XXII.

Illa vero regula, quæ de conscientia erronea datur, partim tollit ipsam doctrinam, quod conscientia propria cuiusvis beat

beat esse norma actionum, partim confirmat nostram doctrinam, partim rem dubiam magis reddit & intricatam. *)

*) Primum probo §. 24. secundum §. 25. tertium §. 26. seq. Addendum etiam est quarto, quod nec hæc regula possit applicari ab errante. Nullus enim errans, quamdiu errat, fatetur se errare, donec contrarium evidenter ostensum fuerit. Si autem fuerit ostensum, cessat error, & adeo simul cessat regula. Vel cœcus autem facile palpare potest, banc regulam inventam esse tantum a Clero Pontificio, ut sit capistrum Laicorum ad stabiliendum prejudicium autoritatis, ut videlicet omnem rationem abjiciant, & soli autoritati plurium (ex Clero & Laicis conjunctim) vel sapientiorum (id est Cleri, quoties hi a Laicis dissentunt) auscultent.

§. XXIII.

Solet enim sic doceri: qui conscientiam erroneam habet, debet sequi consilia aliorum, & horum quidem vel plurius, vel sapientiorum.

§. XXIV.

Igitur si conscientiam erroneam habens debet sequi consilia aliorum, falsum est, quod conscientia propria universaliter debet esse norma actionum humanarum.

§. XXV.

Si debet sequi consilia sapientiorum, confirmatur sententia nostra, quod sapientes debeat præscribere normam insipientibus. In eo tamen differentia palpabilis remanet, quod nostra sententia monstrat, quinam sint sapientiores, communis doctrina vero dubios reddat lectores secernendi sapientes ab insipientibus.

§. XXVI.

Nam vel plures sunt sapientes, vel non sunt: si sunt, non debebant particula disjunctiva separari: si non sunt, sed sunt sapientioribus oppositi, absurdum est regula, quod illi, qui conscientiam erroneam habent, debeat sequi sapientes aut insipientes: i. e. debeat sequi sapientes & non debeat sequi.

§. XXVII.

Et revera sensus communis docet, quod sapientes sint pau-

pauciores, stulti plures. Ergo si conscientiam erroneam habens debet sequi sapientiores, necessario debet sequi pauciores: si debet sequi plures, necessario non debet sequi sapientiores.

§. XXVIII.

Porro conscientia dubia & scrupulosa non sunt conspecies conscientiae rectae & erroneae, sed utriusque subspecies, cui teritia addenda, conscientia firma & constans.

§. XXIX.

Regula vero de conscientia scrupulosa iisdem adnotacionibus est obnoxia, quibus subjacet regula de conscientia erronea. Solent enim hic monere, quod qui conscientiam scrupulosam habet, debeat curare, ut scrupuli ei eximantur a pluribus aut sapientioribus.

§. XXX.

Eadem dicenda sunt de regula conscientiae dubiæ, quia eadem est cum regula conscientiae scrupulosæ.

§. XXXI.

Denique regula alia de conscientia erronea ostendit quidem miseriam eorum, qui tali conscientia agrotant, non vero dat remedium. Nam docent, quod in materia necessaria, ubi sc. agitur de eo, quod recta ratione est præceptum vel prohibitum, errans peccet, †) sive agat secundum conscientiam erroneam, quia præceptum habeat pro prohibito, & vice versa, sive contra eandem, quia tum habeat ad minimum præfisin peccandi &c.

†) *V. g. ex hypothesi hereticum, persecutionem dissentientium præceptam esse docentium, Rex, qui putet, persecutionem hereticorum esse prohibitam.*

§. XXXII.

Missis igitur istis tricis jam distinctius consideranda ipsa norma, qua sapiens regit actiones insipientium. Ea vero duplex est: vel enim sapiens consilia dat insipientibus, vel iis imperat.

§. XXXIII.

Conveniunt *) consilium & imperium, quod utrumque

R

præ-

præscribat normam actionibus futuris, non præteritis, †) circa has enim versatur prudentia judicialis. Et isto intuitu prudentia imperandi comprehenditur sub prudentia consulendi late accepta. Nam & imperans, qua talis, consulit insipientibus, non judicat eos.

*^o) *De differentia agitur §. 50.*

†^o) *Ineptus est, qui consilium petit, negotio super quo consulit, jam peracto.*

§. XXXIV.

Perro & consilium stricte dictum & imperium vel præscribit normam vivendi singulis, vel universitati.

§. XXXV.

Conveniunt ulterius, quod utrumque exitet *) spem & metum insipientium ad appetendum verum bonum & fugiendum verum malum, i. e. ad supprimendas passiones proprias, quatenus communem pacem & tranquillitatem turbant, vitam minuunt, aut infelicitis vita causæ sunt, & ad excitandas eas, quæ pacem promovent, vita terminum conservant, eique suavitatem conciliant.

*^o) *Possit etiam ponere exitare debeat, si tibi dubium oriatur ex dictis §. 43. Quamvis ista correctio non sit absolute necessaria, si dicas, hunc paragraphum intelligendum esse de consilio & imperio sapientum.*

§. XXXVI.

Proponunt igitur & sapientes insipientibus bonum honestum, jucundum & utile, sed mutando horum definitiones: †) conservatio pacis communis *) bonum honestum, cautio prudens, ne mortem acceleremus, bonum utile, cura suavitatis veræ, jucundum bonum intendit.

†^o) *Respicio hic ad dicta cap. præced. th. 48.*

*) *Tam internæ,*

quam externæ.

§. XXXVII.

Non tamen opponenda sunt hæc bona vel separanda, quasi honestum bonum sapientum non sit utile vel jucundum (& ita de reliquis) uti supra *) de jucundo, utili & honesto stultorum

rum diximus. Nam jam alibi^t) ostensum, quod vera bona sapientum sint simul honesta, jucunda, utilia.

*) Cap. preced. tb. 70.

†) *Einleitung zur Sitten-Lehre*

cap. i. n. 91. seq.

§. XXXVIII.

Hinc fugienda est eorum sententia, qui ferre non possunt, quod honestas metienda sit ex utilitate, †) & declamant in eos, qui multa de utilitate virtutis differunt, quasi bonum honestum damna pariat & vitam tædiosam reddat, ac mortem acceleret. Uti enim aperte hi bonum utile stultorum cum bono vere utili confundunt, ita parum sapientiæ ostendunt, quod homines velint excitare ad appetendum bonum inutile & dolorificum. *)

†) *Quod faciunt communiter, qui contra Hobbesum disputant.* Distinguere inter utilitatem veram & falsam, item communem & singulariem. Conf. Grotium proleg. §. 16. *) Aliter Christus in doctrina de 7, Beatitudinibus, & in dicto: *Kommeth her zu mir alle 2c.*

§. XXXIX.

Neque subtiliter nimis dispiciendum est, an bonum verum querendum sit in amore proprio, an in amore aliorum. Nemo amat alios, nisi propter suam felicitatem; nemo se solum amat, nisi amet multa extra se. Sapiens scit, quod alios & que ac se amet. Stulti vero putant, quod alios magis ament quam se, & re ipsa minus amant; vel putant, quod se plus ament, & re ipsa minus amant.

§. XL.

Ostendimus alibi, †) quod Philosophi in cognitione veri occasionem dederint ad amittendum verum sola illa inepta comparatione, quod velensiones dixerint esse normam idearum, vel ideas normam sensionum; cum parallelismus vel æquilibrium sensionum & idearum demum norma sit dijudicandi veri ab errore. Ita eadem notanda sunt in dijudicando bono sapientum a bono stultorum.

†) *Einleitung zur Vernunft-Lehre* cap. 6. §. 21. seq.

R 2

§. XLI.

§. XLI.

Plerique errores inde proveniunt, quod Philosophi dispu-tent, an philautia, an amicitia debeat esse norma boni, h. e. an philautia debeat esse norma amicitia, an amicitia norma phi-lautia.

§. XLII.

Sapientum philautia & amicitia parallelæ sunt, non oppo-sitæ. Datur enim philautia recta & corrupta, datur amicitia sapiens & stulta: ergo neutrum horum potest esse norma al-terius.

§. XLIII.

Sed & datur consilium & imperium stultum. Nam & in hoc conveniunt, quod non solum sapientes consulant aliis iis, que imperent, sed & sapissime stulti. Quomodo igitur hæc duo secernemus?

§. XLIV.

Stulta consilia & imperia sunt, quorum stultitia ab intel-lectu etiam stultorum, quatenus est liber ab affectibus, sensi-biliter cognoscitur; & sapientia sunt, quorum sapientia simi-liter cognoscitur. Etenim stulti sunt quidem cœci, non ta-men sunt tales perpetuo, sed habent sua intervalla.

§. XLV.

Cum vero stulti potentes & eruditi, ut supra *) dixi-mus, sint maximi stulti, & tamen sèpe consilia & imperia exerceant; speciminis loco notanda quædam sunt, quibus consilium sapiens a stulto secerni possit etiam ab insipienti-bus, etsi contrarium fere ubique observetur in praxi.

*) Cap. præced. §. 73. 74.

§. XLVI.

Sapiens in consulendo & imperando se applicat ad capa-citatem stultorum neque iis consilia dat secundum capacita-tem propriam. †)

†) Confer Prudent. Consult. cap. ult. §. 25. De imperio vide exten-plum infra §. 72.

§. XLVII.

§. XLVII.

Non tamen se applicat eorum stultitiae, sed potius anniti-
tur, ut hanc stultitiam emendet, etiam quam in consulen-
do *) solent admittere.

*) *Sic in imperando stultitia committitur, v. g. dum multi paren-
tes infantes punire nolunt, sub praetextu, quod non intelligant.*

§. XLVIII.

Sæpiissime enim †) stulti consilia querunt in rebus, quas
melius notas habent, quam illi, quæ consulant, aut quas fa-
cillime notas habere possunt, aut quas plane non intelligunt,
aut quæ ipsis sunt impossibiles vel valde difficiles, aut quæ
jam sunt præterita vel confecta.

†) *Vide d. cap. ult. Prudent. Consil. at.*

§. XLIX.

Sapiens tam in consilio dando, quam in imperio exercen-
do, non sola autoritate propria nititur, sed evidenter ostendere
allaborat, *) id, quod consultit, vel prodesse ei, cui consilium
datur, vel quid imperatur, vel certe ei non nocere. Non ta-
men cum eo disputat, nec litigat, nec verborum lenocinia
adhibet.

*) *Non sufficiunt ratiocinatio aut disputatione, sed palpabili eviden-
tia, aut in re dubia, exemplo.*

§. L.

Differt consilium stricte dictum ab imperio, quod illud
semper respicere debeat; primario ad utilitatem consilium
querentis, (etsi stulti communiter respiciant primario utili-
tatem propriam) imperium vero etiam ex natura negotii &
non insipienter partim respicere soleat primario utilitatem
parentis, ut imperium paternum, partim utilitatem commu-
nem, ut imperium maritale, partim utilitatem imperantis, ut
imperium dominicum.

§. LI.

Consilium est inter eos, qui sunt pares, vel qui saltem
considerantur, ac si imperium non haberent, imperium abs-
que superioritate concipi nequit.

R 3

§. LII.

§. LII.

Consilium regulariter datur volenti & petenti. Imperium regulariter obtruditur etiam invito.

§. LIII.

Consilium intendit metum incutere passioni vitiosæ, vel monstrando damnum ipsi passioni adversum necessario esse concomitans cum ipsa passione vitiosa, vel suscitando spem passionis adversæ; & suscitare spem adipiscendæ sapientiæ, partim ostendendo lucrum & commodum necessario comitans sapientiam, partim incutiendo metum cupidini, quæ desiderio veræ felicitatis adversa est.

§. LIV.

Imperium quidem similia intendit, sed damna & comoda, quæ orientat, non sunt naturaliter & necessario concomitantia actiones hominis, sed arbitraria, id est, ab hominibus inventa.

§. LV.

Itaque consilium dans intendit persuadere, nec vim habet cogendi, imperans vero non intendit persuadere, sed vim cogendi habet.

§. LVI.

Consilium ratiocinationes suppeditat insipienti palpabiles; Imperium rationes quidem presupponit, sed non multum ratiocinatur. †)

†) *Seneca*: Res fulta lex cum prologo. *Sub Constantino Magno leges ratiocinari inceperunt.*

§. LVII.

Per vim cogendi hic intelligitur stricte potestas insipienti inferendi dolorem sensibilem, dependentem ab arbitrio inferentis.

§. LVIII.

Nam cum ipsum consilium pariter & imperium metum incutiat, patet, quod utrumque debeat habere vim cogendi intuitu voluntatis. Nam supra *) diximus voluntatem cogi per metum.

*) *Supra cap. i. §. 40. & cap. 2. §. 99. seq.*

§. LIX.

§ LIX.

Et adeo falsum est, vel certe non recte exponitur, quod communiter dicitur, consilium non habere vim obligandi.

§ LX.

Est enim obligatio in genere inclinatio voluntatis per metum injectum (& spem suscitatam) a sapiente i. e. eo, qui potestatem metum faciendi habet, quique cum prudentia metum injicit, aut spem excitat. Metus injectus ab insipiente & eo, qui potestatem non habet, vel mera vis est in effectu morali, uti vis, quam supra †) diximus visibilem. *)

†) *Supra cap. 2. §. 100.* *) *Addit: vel seductionem operatur, non obligationem.*

§. LXI.

Obligatio vero duplex est, alia interna, quæ oritur ex conscientia periculi naturalis †) ex ordinatione potentiarum primarum & aeternarum necessario operantis, ut evitari non possit, vel lucri ex natura rei etiam necessario profluentis; & externa, quæ oritur ex metu & spe lucri & periculi incerti ab arbitrio humano dependentis, quod astutia forte elidi, vel alio modo evitari potest. *)

†) *Repete dicta §. 53.* *) *Confer hic §. 54.*

§. LXII.

In eo tamen est differentia inter consilium & imperium, quod hoc producat obligationem externam, illud saltem intrinsecam, respectu vero extrinsecæ non obliget, & inde dictum ortum sit: consilium non obligare.

§. LXIII.

Obligatio enim intrinseca inter stultos fere non habetur pro obligatione, quia vel ignorant, vel contemnunt connexionem rerum necessariam, & magis timent mala arbitraria, quia, ut supra diximus, divina humano, humana divino. †) metu timent.

†) *Quid sit metus divinus & humanus, dixi c. 3. §. 24.*

§. LXIV.

At sapiens obligationem internam habet pro nobilissima specie,

specie, quia timet malum necessarium, & sperat bonum necessarium. Unde & obligatio sapientis magis interna est, quam externa, *)

*) *Id est: oderunt peccare boni virtutis amore.*

§. LXV.

Stulti magis imperio, sapientes, i. e. etiam ii, qui sapere incipiunt, magis consilio reguntur.

§. LXVI.

Eadem cum obligationis divisione est divisio præmii & pœnæ. Nam utrumque horum etiam partim internum est & necessarium, partim externum & arbitratum.

§. LXVII.

Inde profluunt dicta vulgata: Virtus est sui ipsius præmium: vitium est sui ipsius pœna.

§. LXVIII.

Proprie tamen & eminenter in significatu famosissimo præmia & pœnæ pro externis & arbitriis supponuntur, quæ scilicet sunt effectus imperii. Præmia & pœnæ internæ & necessariæ respiciuntur in consilio.

§. LXIX.

Metus etiam duplex est, stulti & sapientis. Ille magis metuit pœnam externam & excitatur ad agendum per præmia externa. Hic magis metuit pœnam internam & excitatur ad agendum per præmium, quod ipsam sapientiam necessario comitatur.

§. LXX.

Stultus magis metuit dolores, †) qui sequuntur vitam stultam, sapiens magis metuit carentiam felicitatis, quæ alias concomitantur vitam sapientem. *)

†) *Oderunt peccare mali formidine pœnae.* *) *In prima editione dixeram, quæ (scil. carentia) sequitur vitam insipientem.*

§. LXXI.

Stultus metuit dolores saepe imaginarios & potentias chimericas: Sapiens vero recte estimat vires potentiarum & naturas dolorum,

§. LXXII.

§. LXXII.

Cum tamen sapiens in consilio & imperio respiciat, ut diximus, † ad aptitudinem insipientum; inde præceptum sapientiae est, in consilio & imperio regulariter excitare spem & metum insipientum secundum imaginationem eorum etiam) erroneam, *) cum non metuant vere metuenda, nec fiduciam habeant in potentiis, in quibus fiducia ponenda est, donec apti incipient esse ad metum & spem rationalem.

†) *Suprà §. 46.* *) Exempli loco esse possunt gradus vulgarer pœnarum capitalium: Röppfen, hängen, rädern, verhungern lassen sc. Modo tamen cetera sint patria, unde cave, ne buc referas den Knecht Kuprecht, das Fegefeuer, den Überglauben an die Heiligen, die erdichteten Wunder. Nam hac exempla peccant contra monitum §. 47.

§. LXXIII.

Porro cum stulti actionibus suis indicent, iis deesse quietem internam, adeoque non aptos esse eos ad procurandam aut conservandam quietem externam, † sed potius ipsosmet ansam dare ad turbationem quietis externæ, ideo patet, quod sapientis norma, intendens stultos ab infelicitateducere ad felicitatem, ad tria summa capita respiciat; ad acquirendam quietem internam, hoc est, ad moderandas stultitias concupiscentiarum trium primarum; ad procurandam quietem externam actionibus pacificis; ad evitandam turbationem quietis externæ omissione actionum pacem turbantium. *)

†) Non confundenda cum distinctione hæc tenus allata obligationis internæ & externe, item hoc loco quietis internæ & externe, distinctione juris Canonici in forum internum seu conscientię & externum. Nam in notis ad Lancelott. lib. 3. not. 4. p. 1220. distinctione ostendi, esse & hoc inventum dominatus clericalis, & revera omne forum ecclesiasticum esse externum. *) Posse etiam sic dicere. Sapiens vel 1) excitat spem & metum obligationis internæ; vel 2) spem obligationis externe; vel 3) metum obligationis externæ.

S

§. LXXIV

§. LXXIV.

Sed ad hæc obtinenda sapiens non poterit promiscue uti
†) consilio & imperio, sed considerare debet gradus stultitiae.
Extreme stulti sunt, qui non volunt turbari libertatem propriam agendi, seu quietem externam, & tamen turbant aliorum libertatem. Apud hos consilio nihil proficit sapiens, sed hic imperio opus est.

†) *Scilicet respectu singulorum, ob dicta §. 74.*

§. LXXV.

Medii sunt, qui quidem non turbant pacem externam, sed nec tamen parant actionibus suis benevolentiam & amicitiam aliorum, ad quorum pacem adeo turbandam alii directo non irritantur, sed tamen nec incitantur ad eorum indigentiam sublevandam. Hic quidem in talibus actionibus dirigendis magis consilio utitur sapiens, quam imperio, quia hi consilium audiunt; sed quia tamen per ejusmodi actiones amore carentes non difficulter irritantur alii ad nocendum, inde etiam tales actiones non excludunt plane metum externum imperii. *)

*) *Hinc extra ordinem Princeps cogere potest ad dandas eleemosynas. Huc pertinet Philippi Macedonis ingratur hospes.*

§. LXXVI.

Infimi sunt in stultitia, qui regulariter actionibus suis externis non turbant pacem aliorum & imo benevolentiam aliorum querunt, sed saepe succumbunt tamen cupiditatibus suis valde irritatis, mox tamen dolent, & quotidie ferio optant moderationem horum affectuum. Erga hos plane non imperio opus, sed nudo consilio. Infimus enim gradus stultitiae est primus sapientiae. At sapiens erga sapientem non imperio utitur, sed consilio.

§. LXXVII.

Cum autem in societate plurium hominum deprehendatur mixtura omnium horum trium generum stultitiae, sua sponte sequitur, quod ad regendam ejusmodi societatem opus sit & consilio & imperio. Ergo intuitu talium societatum imperium
fine

sine consilio in tyrannidem evadit, consilium sine imperio insufficientis est ad emendationem. †)

†) Interim tamen, quia in societate civili difficillime secernuntur gradus diversi sapientum, præprimis à judicibus inferioribus, hinc rara est praxis observationis §. 76. Fundatur tamen aliquo modo in ea Principis jus aggratiandi. Adde, quod in societate civili paucissimi sint tales, quales describuntur in §. 76. Et qui tales sunt ipsi actionibus suis evitare student leges pœnales,

§. LXXVIII.

At in ejusmodi societatibus singulæ normæ requirunt totum hominem ob officia diversa, ad quæ explenda unus idemque homo non potest esse aptus. Consilium requirit, ut sapiens in actionibus suis exterioribus magis placidus sit & humanus quam severus. Imperium vero, ut magis severus, quam placidus sit.

§. LXXIX.

Ergo Doctoris & Principis personæ non facile cadunt in unam personam. Doctoris enim character est dare consilium, Principis, imperare.

§. LXXX.

Ex quo etiam sequitur, quod Doctor debeat esse sub imperio Principis; *) Princeps vero adhibere Doctores sapientiæ in consilium.

*) Sapientes enim, etiam in civitate, debent esse uniti. Jam quia ad Doctorem non pertinet potestas imperandi, necesse est, ut sit sub imperio principis.

§. LXXXI.

Ergo sapientes quidem sunt subordinati, †) sed non adversantur sibi æque ut norma ipsa consilii & imperii.

†) Non coordinati. Alias non esset unio, vel nullum remedium adesset, si dissidenterent. Unde vides & palpas ineptias & fraudulentiam distinctionis inter potestatcm ecclesiasticam internam & externam, kodicennum, tamen etiam inter Protestantes adbuc regnantis.

S. 2

§. LXXXII.

§. LXXXII.

Sapiens sapienti libenter paret, stulti cum repugnantia; sapiens sapientis consilium libenter audit, stulti sapientum consilia contemnunt.

§. LXXXIII.

Quod si sapientes ipsi recidant in stultitiam, tum imperans doctorem imperio in ordinem redigit, doctor imperantem consilio. Quod si doctor imperantem imperio velit redigere in ordinem, necessario oritur bellum, quod si imperans doctorem solo consilio tentet in viam reducere, periculum subit amittendi imperii. *)

*) *Habes hic fundamenta arcanorum Papatus Politici. Postquam enim Clerus persuasit Principibus, ut in legibus ratiocinarentur, & adversus Clerum nonnisi abortationes, preces & obtestationes usurparent, & Clericis relinquenter potestatem pseudo spiritualem, pœnae sensibilissime excommunicationis, solus Clerus capit manit, ex Principe autem factum est brachium seculare.*

§. LXXXIV.

Voluptatis & ambitionis mixtura character doctoris est, si voluptas aliquantulum emineat; Principis, si ambitio; Boni civis, quæcunque ex his duabus emineat.

§. LXXXV.

Mixtura ambitionis & avaritiae character Principis & Doctoris est in tyrannidem proni, non solum intuitu eorum, quos regere † debent, sed etiam inter se. Aptus tamen est uterque ad defendendam societatem contra vim & astutiam externam. Et cives etiam tali mixtura prædicti non mali sunt, si a talibus regantur.

†) *Regere est vox indifferens, apta ut & de doctrina & de imperio prædicetur. Sed Clerus tamen ea abutitur, dum sibi sub hoc pretextu imperium quæsivit, ut latius docui in vindiciis juris principum circa sacra.*

§. LXXXVI

Mixtura avaritiae & voluptatis est character stultorum, & crudelium Doctorum, Principum maxime tyrannorum, & subditorum

ditorum servilium, qui imperio magis, quam consilio in ordine retinentur.

§. LXXXVII.

Fluit etiam ex dictis distinctio actionum in bonas, malas & medias. Extreme bona sunt, quæ tendunt ad acquirendam pacem internam, extreme mala, quæ turbant pacem externam, mediae, quæ quidem non turbant pacem externam, nec tamen eam promovent, vel quæ etiam querunt pacem externam, sed sine debita cura internæ.

§. LXXXVIII.

Atque hæc actiones mediae pluribus gradibus gaudent, ac una altera melior est, altera pejor, una eademque diverso respectu & bona & mala dici solet, prout refertur ad bonum & malum extremum. Unde regula vulgata: bonum minus induit naturam mali, & minus malum boni.

§. LXXXIX.

Habes simul fontes triplicis boni, honesti, decori, justi. Justum opponitur malo extremo, ut quod injustum dicitur. Honestum est ipsum bonum eminens, cuius oppositum turpe est, turpe enim est, succumbere (etiam cum dolore) cupiditatibus. Decorum est ipsum bonum medii generis, & indecorum malum medii generis, scilicet bonum imperfectum & malum imperfectum.

§. XC.

Honestum dirigit actiones insipientium internas, decorum externas, ut aliorum benevolentiam acquirant, justum externas, ne pacem turbent, & ut turbatam restituant.

§. XCI.

Hæc tria bona tamen non sunt separanda. Neque enim sapiens est, qui non simul honeste, decore & juste vivit.* Unde & sapissime promiscue usurpantur.

* Confer. dicta §. 76.

§. XCII.

Antequam ab hoc capite abeamus notanda adhuc erit consilii & imperii differentia a pacto, †) ne inter se confundantur.

†) Hac observatione potissimum opus propter Hobbesum, qui preceptum de pactis servandis docet esse fundamentalem propositionem legis naturae, ex qua omnes leges reliquæ per modum conclusionum deduci possint.

§. XCIII.

Conveniunt inter se, quod pactum etiam præscribat normam agendi pacifcentibus in actionibus futuris, ut consilium & imperium.

§. XCIV.

Differt pactum a consilio, quod consilium respiciat utilitatem ejus, cui datur, pactum vero modo utilitatem unius, pacifcentium, modo utriusque, imo accurate loquendo semper utilitatem moralem utriusque, *) nam & in donatione, mutuo, commodato intendimus alterius saltem benevolentiam acquirere & amicitiam, aut eam confirmare, et si hic non suffit utilitas, quæ pecunia æstimari solet. †)

*) Id est, in omni conventione quilibet contrahens ex natura rei quærit utilitatem propriam: v. g. quilibet vult care vendere & vili pretio emere †) Jus Romanum vero dum contractus hic enumeratos unilaterales vocat, aut in his unius utilitatem intendi docet, intelligit in specie pecuniariam utilitatem Nam gratitudo & benevolentia, donatarii &c. quam donans &c. intendit non est utilitas pecunia æstimabilis, aut quæ cadit in commercium.

§. XCV.

Porro consilium magis intendit obligationem internam, pactum magis externam, scilicet metum belli vel pœnæ humanae.

§. XCVI.

Differt pactum ab imperio, quod imperium sit inter impares, pactum inter pares, vel certe non consideratos ut impares.

§. XCVII.

Porro imperium sapienter ex natura sua respicit utilitatem imperii.

imperantibus, pactum, ut diximus, semper utilitatem communem.

§. XC VIII.

Ab utroque differt pactum, quod pactum non obliget immediate, sed mediante & praesupposito consilio & imperio juris naturæ & positivi. Unde etiam in hoc capite, ubi de norma actionum egimus, duplicem sicutem speciem hujus normæ esse diximus, consilium & imperium.

§. XCIX.

Ergo pactum per se *) nunquam obligat, sed semper examinandum est ipsum pactum ad normam consilii juris naturæ & gentium & ad normam imperii juris civilis. †)

*) id est, non obligor, quia volui dare. Nam alias possem etiam me liberare, si postea nolle. Nihil enim tam naturale est, quam ut aliquid eodem modo solvatur, quo fuit constitutum.

†) Hinc non obligat pactum rei turpis.

CAP. V.

DE

JURE NATURÆ ET
GENTIUM.

SUMMARIA.

Jus vel pro norma sumitur, vel pro potestate agendi i. Lex late dicta, 2. stricte talis. 3. Legis virtutes in significatu utroque. 4. metus externus, qui a legibus incutitur, triplex. 5. Permissio an & quatenus sit legis actio. 6. Lex præcipiens & permittens. 7. Jus pro potestate agendi acceptum supponit jus normæ. 8. Jus & obligatio correlata: corum inter se differentia. 9. Quatenus utrumque sit effectus normæ. 10. Jus a natura vel a lege. 11. Exempla juris connati & acquisiti. 12. Obligatio connata, acquisita. 13. cum jure connato & acquisito non confundenda. 14. Injuria.

Actio

Actio injusta, justa, non injusta. 15. Jus & injuria supponunt
 duos homines. 16. Jus omne externum, 17. non vero omnis obli-
 gatio. 18. Obligatio jure latior, 19. etiam ex regulis honesti
 erit. 20. Jus non respicit etiam regulas decori. 21. At jus pro
 lege acceptum comprehendit etiam leges decori & honesti. 22. Jus
 imperfectum non est jus. 23. Nec datur obligatio imperfecta, 24.
 Virtus, Justitia. 25. Jus omnium in omnia dari nequit. 26. Nec
 potest jus omne ultimo ex pacto esse. 27. Jus utriusque significatus
 vel naturale, vel gentium, vel civile. 28. Lex vel naturalis, vel
 positiva. Fundamentum cognoscendi. 29. Jus naturæ vel late
 dictum pro præceptis honesti & decori, vel stricte pro solis præcep-
 tis justi. 30. Usus distinctionis in quæstione de principio juris
 Naturalis. 31. Jus positivum omne humanum. 32. Jus naturale
 divinum. 33. Lex naturalis ad consilia pertinet, positiva ad im-
 peria, 34. quia inter homines Lex & Consilium plerumque op-
 ponuntur, 35. Imperium humanum summatum duplex, pater-
 num & dominicum. 36. Ratio recta Deum non potest concipere,
 ut despotam. 37. Omnis pœna proprie dicta determinatur ab
 hominibus. Inter eos, qui tantum sub potestate divina sunt, est
 tantum coactio bellica, non pœnalis. 38. Pœna humana infertur
 visibili modo, pœna divina modo invisibili. 39. Lex Naturæ est
 dictatum rationis, at leges proprie dictæ publicantur. 40. Ra-
 tio recta Deum magis ut patrem concipit, 41. cum metus Dei
 rationalis debeat esse filialis, non servilis. 42. Cur tamen sapiens
 insipientibus relinquat conceptum Dei tanquam despota, 43. cur
 inculcat in institutionibus hujus conceptus errorem. 44. Leges
 humanæ mutabiles sunt: Lex divina immutabilis. 45. Dubia
 omnia de mutabilitate juris naturæ, cur ex scriptis revelatis sint
 desumpta. 46. In quæstione de mutabilitate juris naturæ distin-
 ctæ consideranda præcepta justi, decori, honesti. 47. Ratio di-
 sparitatis. 48. Scholasticorum doctrina de obligatione, quæ sit
 semper & ad semper &c. 49. Fons dissensionum in quæstione de
 moralitate naturali actionum humanarum. 50. Si Deus, ut do-
 minus est autor juris naturæ, non dantur actus per se justi. 51.
 Sed si Deus dicitur jus naturæ ut pater, dantur actus per se boni
 & me-

Et mali. 52. *Jus positivum potest nullo modo disponere contra regulas justi, sed plura potest prohibere.* 53. Nec mutat etiam generales leges honesti, sed speciales tamen diversimode determinare potest. 54. Idem dicendum de regulis decori. 55. Necessitas juris positivi ob stultos. *Quia præmia & pœnae juris naturalis operantur invisibiliter.* 56. At pœnae juris positivi sunt magis palpabiles. 57. *Jus naturæ late dictum comprehendit præcepta ethica & politica; strictè dictum sola præcepta justi.* 58. Alius significatus juris naturalis & positivi, quo pro attributo personæ sumitur. 59. Definitio hujus juris naturalis, 60. & positivi. 61. Accuratius tamen dicitur, aliquam facultatem esse juris naturalis vel positivi. 62. Huic juri etiam naturali quilibet renunciare potest, 63. & hoc jus, etiam naturale, potest tolli & minui lege positiva. 64. *Jus Gentium maxime ambiguum est.* 65. aliquando sumitur pro ipso jure naturali in genere, 66. aliquando in specie pro jure naturali, quod dirigit actiones gentium inter gentes, 67. aliquando pro lege positiva multis gentibus communi. Hoc partim mutabile, partim immutabile. 68. Aliquando pro facultate pluribus gentibus communi. Hoc totum mutabile. 69. Aliquando pro moribus gentium intuitu decori. Et hoc variat. 70. Distinctio gentium in barbaras & moratas magis implicat, quam explicat, 71. quia originem sumvit ex fastu Graecorum & Romanorum. 72. Gentes Barbaræ prudentiores & minus stulta, quam morata. 73. Declaratur ex Taciti libro de Moribus Germanorum. 74. Refutatur sententia jus gentium deducens ex doctrina pacis vel juris consuetudinarii, 75. tam intuitu pacis expressi, 76. & taciti, 77. quam intuitu juris consuetudinarii. 78. *Jus naturæ hominum aliis creaturis commune, est impropter dictum,* 79. quia aliae creature non opus habent norma, nec in eas eadit obligatio. 80. *Jus naturæ & gentium primævum & secundævum.* 81

§. I.

Jus sumitur varie. Potissimum vel pro norma actionum, vel pro potentia agendi in relatione ad illam normam.

normam. Secundum stylum Grotii vel pro lege, vel pro attributo personæ.

§. II.

Tot sunt significaciones legis,* quo sunt significaciones normæ actionum moralium. Unde in lata significacione lex denotat præcepta doctrinalia, (consilia) iussa regum & dominorum, (imperia) monita paterna, (ex imperio & consilio composita) conditiones conventionum, (pacta.)

*) Et præcepti. Deducta hæc sunt latius Tom. 6. observ. sel. 27. *Etsi enim vox latina legis hodie non ita promiscue ab omnibus usurpari soleat, cum tamen doctrinam philosophicam scholarumbeamus a Græcis, sufficit quod apud Græcos vox νόμος, δόγμα. T.e. hic variis significacionibus subjaceat.*

§. III.

Stricte lex sumitur pro jussis imperantium seu Domini-
rum, sive Regum & Magistratum, strictissime pro jussibus
universalibus imperantium in Repub. Utrobique opponitur
consilio & pacto. Unde simul patet differentia legis a consi-
lio & pacto.

§. IV.

In lata igitur acceptione legis virtutes sunt, suadere, hor-
tari, præcipere, vetare, permittere, punire, †) cogere. At in stri-
cto significatu legis virtus immediata est præcipere & vetare;
mediata & consequentes, per Magistratus punire, judiciali-
ter cogere & nullare actiones contra leges.

†) Confer Modestinum l. 7. ff. de Legibus.

§. V.

Nam metus externus, quem leges insipientibus inten-
dunt, est vel metus frustreitatis,* vel damni in re familiari,
vel poenæ.

*) Repete supra dicta cap. 2. §. 26. seq.

§. VI.

Permissio non est legis actio, †) quia qui permittit, non
præscribit normam, nisi hac voce comprehendatur confirma-
tio juris alteri competentis, aut ejus introductio. Nam v. g.
dum

dum imperium patris, dominium civium &c. in legibus permittitur, per consequentiam alii vetantur, ne utentes suo jure turbent; Hoc pacto tamen permissio non est nova legis actio sed jam comprehenditur sub actu vetandi.

†) *Quod jam observavit Grotius de J. B. & P. I. i. c. 1.*

§. VII.

Ergo ex dictis patet, quod controversia de lege præcipiente & permittente pertineat maximam partem ad logomachias. *)

*) *Et quod Jcti crediderint, jus Justinianum & modo memoratum ex eo Modestini dictum esse articulum fidei.*

§. VIII.

Uti vero legis in utroque significatu effectus & intentio est obligatio, in stricto externa, in lato etiam interna per dicta latius capit. præced. ita cum notorium sit, jus & obligationem esse correlata, †) jam facile ex doctrina correlatorum constabit, quid sit jus in altero significatu, quando scil. sumitur pro potentia agendi in relatione ad normam, (* sive pro attributo personæ.)

†) *Secundum ea tamen, quæ infra §. 17. 18. 19. & lib. 3. c. 7. n. 10. explicabuntur.*

§. IX.

Uti enim obligatio injicit vinculum voluntati ejusque libertati externæ, ita jus hujus significatus oritur ex laxatione voluntatis ejusque libertatis externæ, i. e. sublatione omnis impedimenti, vel etiam auxiliatione & assistentia, quæ sit per leges. Obligatio metum incutit, jus spem intendit vel conservat. Hinc obligatio dicitur qualitas in oralis passiva, jus activa. Et hinc regula: quod quilibet juri suo renunciare possit, non vero obligationi.

§. X.

Refertur vero obligatio, & jus obligationi respondens ad normam, †) sed diverso modo; obligatio omnis fluit ex norma agendi, tanquam effectus primario ab eo intentus, qui normam præscribit. Jus vero est effectus secundarius, qui indirecte

T 2

inten-

intenditur, quatenus est correlatum obligationis, & quatenus aliquando lege humana de novo introducitur.

†) *Nulla norma moralis est sine obligatione, nulla obligatio sine norma.*

§. XI.

Unde jus ~~de~~^{ad} lex est, vel quod abstrahendo a voluntate omni humana habeo, vel quod ex lege humana vel pacto oritur. Primum jus dicimus habere a natura antecedente voluntatem humanam, vel a norma juris naturalis. Secundum a norma voluntatis humanæ, vel etiam ex jure humano. Prius dicitur jus connatum, alterum acquisitum.

§. XII.

Juris connati exemplum est libertas & communio primaria. Acquisiti imperium & dominium.

§. XIII.

Est & obligatio vel connata, vel acquisita, sed diversæ sunt definitiones. Connata dicitur, quæ hominibus adest vel statim a nativitate, vel certe non supponit voluntatem obligati: Acquisita, quæ supponit ejus voluntatem.

§. XIV.

Ergo jus connatum & obligatio connata &c. non sibi semper respondent. Nam obligatio filio erga patrem est connata, jus tamen patris non est connatum, sed per consensum cum matre, absque tamen consensu filii, acquisitum.

§. XV.

Oppositorum juris & obligationis est injuria. Nam qui jure suo utitur, nemini facit injuriam. Et ex injuria, i. e. denegatione juris, & quando quis secus facit ac obligatus erat, oritur actio injusta, ex obligatione justa, (* ex jure non injusta.)

§. XVI.

Patet igitur, quod jus, item obligatio externa juri correspondens, & injuria, semper supponant duos homines. Unde nemo habet proprius jus in se ipsum, nec sibi injuriam facere potest, nec sibi obligatur. Hinc volenti non fit injuria. Et nemo sibi ipsi legem dicere potest.

§. XVII.

§. XVII.

Ergo jus omne externum est, non internum. Ergo eadem dicenda sunt de obligatione juri respondentे, i. e. externa.

§. XVIII.

Alia igitur est ratio obligationis, quam supra internam diximus. Hæc enim non semper supponit alios homines, sed, etiam si homo solus esset, obligaretur ad moderandos affectus suos, quia remaneret metus rationalis damni, si contra faceret. Et hoc intuitu dicimur obligati nobismet ipsis, & quod (v. g. per vota) legem ponamus nobismet ipsis, quod quilibet sibi ipsis sit proxime obligatus.

§. XIX.

Ergo obligatio latior est jure; Et ergo non eadem etiam sunt divisiones juris & obligationis.

§. XX.

Ergo obligatio quidem oritur etiam ex regulis honesti, sed jus ex regulis honesti non oritur. *)

*) Uti hæc obligatio non habet correlatum juris, ita ad lib. 3. cap. 7. n. 10. do exemplum juris, quod non habet correlatum obligationis, scilicet jus puniendi. Tale est etiam jus salvandi vitam in casu necessitatis. Confer hic §. 26.

§. XXI.

An ergo jus saltem ex regulis justi oritur, uti videtur ex terminis, an etiam ex regulis decori? sane regulæ decori etiam respiciunt hominem in relatione ad alium hominem. Sed nihilominus ad decorum nemo cogi potest, & si cogitur, amplius decorum non est. At vero obligatio juri correspondens semper externa est, metuens coactionem aliorum hominum. Ergo jus etiam non oritur ex regulis decori.

§. XXII.

Et hinc quoque patet, quod jus potentia non ita ample accipi soleat, quam jus pro lege acceptum. †)

†) Per §. 2. §. 30.

T 3

§. XXIII.

§. XXIII.

Patet porro, divisionem juris Grotianam *) in perfectum & imperfectum non bene se habere. Nam omne jus est perfectum, & jus imperfectum non habet oppositam injuriam: †) jus imperfectum non ulterius tendit, quam ad ea, quæ ab altero peto ex regulis decori, non justi.

*) *Vero similiter Grotius istam divisionem juris invenit, ut explicaret divisionem Aristotelicam justitiae in commutativam & distributivam.* †) *Huc pertinet dictum ex parabola Christi de vinea: Amice, non fatio tibi injuriam.*

§. XXIV.

Eadem ratio quoque est divisionis, qua obligatio dividitur in perfectam & imperfectam. Nam nec datur obligatio imperfecta. Et cum obligatio interna sit perfectior externa, ea non potest dici imperfecta, hæc perfecta. Adde, quod regulæ decori & honesti proprie me non obligent alii homini, sed mihi.

§. XXV.

Fluit etiam ex dictis, quod quæ homo facit ex obligatione interna & regulis honesti & decori, dirigantur a virtute in genere, & ab iis homo dicatur virtuosus, non justus; quæ vero facit ex regulis justi seu obligatione externa, diriguntur a justitia, & ab ejusmodi actionibus dicitur justus.

§. XXVI.

Cadit etiam sua sponte jus omnium in omnia; †) quia obligatio, et si possit esse sine jure jus tamen non est, nec esse potest, nisi in casu specialissimo *) summae necessitatis, sine obligatione. At jus illud, eo ipso, quia est omnium in omnia, non habet obligationem sibi correlatam,

†) *Quod Hobbesius falso assert in statu naturali.*

*) *Imo & tum juris vox magis sumitur in sensu negante, pro actio- ne non injusta.*

§. XXVII.

Cadit & alia doctrina, †) jus omne ultimo esse ex pacto. Ut enim hic ostensum, dari jus connatum, cap. præc. jam no-
tatum

tatum fuit, pactum per se non obligare, ergo nec potest per se jus aut producere, aut confirmare.

†) *Eiusdem Hobbesi. Conf. §. fin. cap. præced.*

§. XXVIII.

Dividitur jus in utroque significatu in naturale, gentium & civile, sed utriusque divisionis non sunt eadem observatio-nes. Ergo de singulis seorsim.

§. XXIX.

Jus pro lege acceptum *) est vel naturale, vel positivum. Fundamentum hujus divisionis est principium cognoscendi. Jus naturæ cognoscitur ex ratiocinatione animi tranquilli, jus positivum requirit revelationem & publicationem.

*) *De divisione juris pro attributo persona dicetur. §. 59.*

§. XXX.

Sumitur tamen jus naturæ vel late, prout comprehendit omnia præcepta moralia ex ratiocinatione profluentia, sive sint regulæ justi, sive etiam honesti & decori; vel stricte pro solis præceptis justi, quatenus ab honesto & decoro distinguitur.

†) *Usus hujus distinctionis multiplex est, v. g. in questionibus de immutabilitate juris naturæ, de causis belli justificis, de principio primo juris naturæ &c.*

§. XXXI.

Priori modo principium cognoscendi jus naturale debet esse unum, commune, primum *) & plane universale, posteriori potest esse secundo primum, speciale & particulare: hac distinctione neglecta vel omissa multæ disputationes inutiles, difficiles tamen, ortæ sunt de principio juris naturæ. †)

*) *Scilicet respectu intellectus practici. Vide, quæ latius differui in Inst. Jurispr. Div. lib. 1. cap. 3. §. 22. seq.* †) *Ita in Inst. Jurispr. Div. d. 1. ostendi, principium juris naturæ intuitu intellectus theoretici non esse primo primum, sed ex theoretico demonstrari posse & debere ad ostendendas ineptias eorum, qui, cum iis objicitur, principium eorum: honesta esse facienda &c. esse obscurum & non primum (cum aliunde constare debeat, quemam sint honesta & turpia,) respondere solent, non debere demon-*

demonstrari & probari principium juris naturæ, cum sit primum.

§. XXXII.

Omne jus positivum intuitu publicationis, quæ ad ipsius essentiam pertinet, humanum est, i. e. mediantibus aliis hominibus, aliis publicatum & revelatum est. Utrum illi homines jussum immediatum a Deo habuerint, id Philosophia ignorat, & ad Theologiam transmittit. *)

*) Unde non obstat lex divina per Mosen publicata.

§. XXXIII.

Jus vero naturale, cum quorumlibet cordibus inscriptum sit, nec revelatione aliorum & autoritate sola opus habeat; inde divinum dicitur, videlicet, quia ortum dicit ab autore naturæ omnis, etiam humanæ, Deo.

§. XXXIV.

Cave tamen, ne putes, legem naturalem & positivam, divinam & humanam, esse species ejusdem naturæ: Lex naturæ & divina magis ad consilia pertinet, quam ad imperia, lex humana proprie dicta non nisi de norma imperii dicitur.

§. XXV.

Scilicet inter homines, lex & consilium sibi plerumque opponuntur, & adeo lex pro jussu sumitur, non doctoris, sed imperantis.

§. XXXVI.

Imperium vero inter homines summatim duplex est: paternum & dominicum; †) illud magis querit utilitatem subjecti, hoc magis utilitatem propriam. Adeoque illud plus participat de consilio stricte dicto, quam hoc. Imperia publica pro diversitate formæ Reipublicæ modo plus participant de imperio paterno, modo de dominico: plerumque plus de dominico. *)

†) Maritale est imperium quasi ex utroque mixtum. Confer dicta cap. 4. §. 50. *) Vide disput. de hominibus propriis, potissimum §. 43. seq. Confer disput. de iure consuetud. & observantia.

§. XXXVII.

§. XXXVII.

Ratio sibi relicta nescit, †) quod Deum concipere debeat ut Regem aut Dominum, qui pœnas externas arbitrarias velit inferre iis, qui contra præcepta juris naturæ faciunt, quia videt, omnes pœnas, quæ sequuntur transgressores juris naturalis, qui non sunt sub imperio humano, esse naturales, adeoque improprie dictas.

†) *Non negat, adeoque non contradicit Theologis, si ex Scriptura multa de Deo se ut Regem vel Dominum manifestante doceant.*

§. XXXVIII.

Imo pœna ex natura sua humana est & arbitraria, quia omnis pœna dictatur ab homine imperante. Jus naturæ dictat faltem peccantes mereri pœnam. Adde, quod inter eos, qui solo jure naturæ reguntur, sola coactio bellica obtineat, non pœnalis, & quod bellum punitivum Grotii jam sit explosum.

§. XXXIX.

Porro omnis pœna visibiliter infertur, at mala, quæ Deus ordinavit transgressoribus juris naturæ, occulte veniunt, i. e. ut connexio mali cum peccato non sit visibilis, etsi forte ipsum malum visibile sit.

§. XL.

Ulterius sapiens Deum magis concipit ut Doctorem juris naturæ, quam ut legislatorem. Jus enim naturæ est dictatum rationis tranquillæ, nec turbatæ a cupiditatibus. Hoc vero Doctoris est, consilio suo reddere rationem tranquillam. *) Leges publicantur. Philosophus ignorat publicationem juris naturalis.

*) *Lex coërcet eos, qui ratione tranquilla carent, & aliorum rationem irritant. Imo saepè lex profuit ex irritata ratione legislatoris.*

§. XLI.

Imo etsi sapiens Deum sibi conciperet, ut hominem imperantem, tamen magis conciperet ut patrem, quam ut Dominum, quia magis convenienti perfectioni bonitatis divinæ querere bonum hominum, quam in legibus hominum cordi inscriptis

scriptis quærere utilitatem suam more despotico. At patris iussa magis consilia sunt, quam imperia.

§. XLII.

Porro conceptus Dei, ut patris, incutit metum filialem, ut despota, servilem: at jam supra †) diximus, metum Dei rationalem esse filialem, non servilem.

†) *Vide cap. 2. §. 32. & cap. 3. §. 27.*

§. XLIII.

Cum tamen multi homines secundum connatam insipientiam Deum, ut despota, sibi imaginentur, & ii durante isto statu ad conceptum justum de Deo nondum sint apti; sapiens vero in præscribenda norma se debeat aptare capaciti insipientium; Hinc in institutionibus juris naturæ hæc saltem placide monenda sunt, non acriter inculcanda. Expeſtandum, donec lectors ipsi magis in corde hanc veritatem sentiant, quam intendendum, ut de ea altercando disputent.

§. XLIV.

Interim nec seponenda est hæc observatio sapienti, aut communis doctrina loco fundamenti in Instit. proponenda: quia institutiones debent tollere insipientibus conceptus erroneous. At vero communem doctrinam infiniti errores sequuntur.

§. XLV.

Magis etiam sensibiliter ex dictis percipitur doctrina de alia differentia legis divinæ & humanæ. Leges humanæ ſapientia mutantur visibiliter, tantum abeft, ut non fint mutabiles. At lex naturæ nunquam mutata eft, quia naturæ omnium rerum sunt perpetuae & immutabiles. Imo ratiocinatio non potest dubium verosimile ſibi movere, quod Deus mutaverit aut mutare voluerit jus naturæ.

§. XLVI.

Hinc & omnia dubia, quæ hic moventur, defumta ſunt ex scriptis revelatis, *) ad quæ respondere non pertinet ad instit. juris naturæ, †) præprimis cum non ipsa scripta revelata dubia

dubia hæc per se pepererint, **) sed ortus eorum debeatur falsæ interpretationi Scholasticæ Philosophiæ.

*) *V. g. de intersectione Isaaci, de ablatione vasorum Ägyptiis facta, de mendacii obstetricium.* †) *Ostensum tamen est in Instit. Jurispr. Div. lib. I. cap. 2. §. 98. 99. 100. quomodo ad ea respondendum sit.* **) *Id est, nunquam dicitur in Scriptura Sacra, quod jus naturæ sit mutabile, aut quod Deus jus naturæ mutaverit, aut mutare voluerit.*

§. XLVII.

Interim & in hac quæstione communiter miscetur jus naturæ late & strictè dictum. †) Etsi enim jus naturæ omne non mutetur, magis tamen universalia ac perpetua ex natura sua sunt præcepta justi, quam honesti & decori. Inde illa semper eadem sunt, hæc variant, certe multas limitationes admittunt.

†) *V. g. in exemplis d. l. §. 99. adductis, de polygamia, divorce, incestu.*

§. XLVIII.

(* Nam) Regulæ justi coërcent extreme mala, i. e. intuitu omnium hominum talia: regulæ honesti respiciunt quidem extreme bona, sed modus tamen ad ea pervenienti variat, quia modus aberrationis variat. †) Regulæ decori respiciunt diversos gradus bonitatis & malitiæ intermixiæ, qui infiniti sunt.

†) *Unde per alias vivendi regularis reducendi voluptuosi, per alias avari, per alias ambitiosi. Peccatur contra hanc observationem communiter.*

§. XLIX.

Res magis patebit ex dicendis capite sequente. Interim ex hac nota explicari utcunque potest illud obscure dictum scholasticorum, præcepta juris naturalis negativa obligare semper & ad semper, affirmativa semper, sed non ad semper. *)

*) *Nam per dicenda cap. seq. præcepta affirmativa sunt præcepta honesti & decori. Conf. Instit. Jurispr. Div. lib. I. cap. 2. §. II. seq.*

§. L.

Potest enim secundum hactenus notata jam aliter perspicue sopiri controversia ista intricata de differentiis juris naturæ & positivi ratione moralitatis actuum humanorum, de quibus disponit utrumque jus. †)

†) *De qua egi d. cap. 2. §. 74. seq.*

§. L..

Si Deus concipitur, ut legislator despoticus, hominem extrinsece ad pœnam obligans, & honestas ac turpitudo sumuntur pro synonymo justitiae & injustitiae, *) falsum est, dari actus per se sua natura ac antecedenter ad voluntatem divinam honestos vel turpes, per demonstrata jam alibi. †)

*) *Pœnas merentis. Et sic doctrina Scholasticorum non coheret;*
quia Deum, item honesta & justa sic concipiunt. †) *Dicſ.*
cap. 2. §. 74.

§. LII.

At si Deus concipitur ut Pater, Consiliarius, Doctor, & Honestas ac turpitudo denotat magis bonitatem aut malitiam seu vitium in genere, *) quam in specie justitiam & injustitiam, verum est, actus de quibus jus naturæ tam late, quam stricte dictum agit, esse per se & natura sua morali, intuitu totius humani generis malos ac bonos. At actus, de quibus agit jus positivum, qua tale, non sunt ex natura hominum omnium ac perpetuo boni & mali.

*) *Confer Zentgravium & quæ contra cum disputat Pufendorffus in Eridi Scandica p. 332. 335.*

§. LIII.

Quamvis vero jus naturæ sit norma juris positivi, id tamen diversimode accipiendum. Contra jus naturæ stricte dictum, quod prohibet læsionem, aliorum, nihil plane potest efficaciter disponere †) jus positivum, quod jure obligare possit subditum. Hoc enim jam diximus esse simpliciter universale. Plura tamen potest ex utilitate singulari prohibere jus positivum, quæ jus naturæ in medio relinquit, adeoque hoc intuitu munimentum aliquod addere juri naturali. Imo etiam

iām in iis, quā jure naturae alias prohibita sunt, poterit pœnæ
*) causa alteri vitam, famam, bona adimere, determinare na-
turam pactorum, impedire effectum fidei servatæ &c.

†) *Id tamen potest efficere, ut quod alias esset lesio, jam non sit;*
si iubeat v. g. carnifici delinquentes interficere, si iubeat, delin-
quentibus aut debitoribus res suas auferre, si detrahat pacto nu-
do efficaciam agendi &c.

*) *Nam nulla pena determinatur jure naturae.*

§. LIV.

Præcepta honestatis generalia etiam sunt universalia.
Ergo nec hic potest aliquid mutare jus positivum. Sed quo-
ad regulas speciales aliquid potest addere, †) imo cum illæ re-
gulæ speciales desumendæ sint ex variante hominum natura,
quæ non ita facile in sensus incurrit, utile est, ut jus positi-
vum multa determinet, quæ alias difficulter determinarentur
sola ratiocinatione. Inde vulgatum, non omnia omnibus esse
honestæ & turpia. *)

†) *V. g. in ordinationibus Politicis, de vestimentis, moderamine in*
cibo & potu &c. *) *Vide quæ latius docui in dissertat.*
de Statuum Imperii potestate legislatoria contra jus commune §.
33. 34.

§. LV.

Eadem est ratio præceptorum decori. Difficilior enim
est inquisitio bonorum & malorum mediorum, quia hæc non
absolute bona vel mala sunt, sed in comparatione ad majus
bonum vel minus malum. Inde non omnia omnibus sunt
decora & indecora. Ergo & decorum & honestum, quod re-
ctæ rationi etiam non repugnat, †) est vel naturale vel posi-
tivum.

†) *Nam datur etiam decorum & honestum stultorum per dicta su-*
perius cap. 3. §. 42. & 46.

§. LVI.

Fluit etiam exinde necessitas juris positivi. Stulti, nisi jam
incipiant desipientiam deponere, parum apti sunt *) ad serio
meditandam utilitatem & jucunditatem veri boni, quod simul

honestum, decorum & justum est, & ad indaganda tædia ac damnæ veri mali, quod simul turpe, indecorum & injustum est, etiam si consiliis sapientum quotidie impellantur ad hanc meditationem. Cum enim damnum & utilitas boni & mali habeant quidem connexionem necessariam, sed non ita visibilem ac palpabilem aut immediatam, non sunt apti insipientes, ut metuant metuenda, & sperent, in quibus sperandum sit; verum stultitia eos decipit, ut putent, astutia sua se posse evadere illa damna necessaria, aut ut non credant, ob deficientiam experientiæ, se posse consequi bona necessaria, virtutem & justitiam concomitantia.

^{t)} Eadem est ratio Scripturæ sacrae & eorum, quæ Scriptura de præmiis & pœnis futuri seculi docet: nam nec ad harum meditationem seriam apti sunt extreme stulti vel impii: ne quis nobis objiciat defectum juris naturæ non necessario suppleri debere per jus positivum, sed posse id fieri per diligentem lectiōnem Scripturæ sacrae, adeoque stultis loco juris naturæ statim Scripturarum lectionem inculcandam esse.

§. LVII.

Poenæ vero juris positivi magis palpabiles sunt & visibiles inde magis aptæ sunt ad metum incutiendum stultis. Et præmia quoque juris positivi eodem modo magis in sensus incurruunt.

§. LVIII.

Denique id notandum. Jus naturæ late dictum comprehendit totam Philosophiam moralem, Ethicam sc. & Politicam. Nam Ethica tradit principia honesti; Politica principia decori. Jus autem naturæ stricte dictum, quod in specie tradit principia justi & injusti, ab Ethica & Politica sic sensibiliter secernitur.

§ LIX.

Pergo ^{t)} ad jus, quatenus denotat potentiam moralem ad normam relatam, seu ut Grotius loquitur, quatenus denotat attributum personæ. Jus in hoc significatu etiam est vel naturale vel positivum. Sed alia hic sunt definitiones.

^{t)} Connexionem quare in §. 29.

§. LX.

§. LX.

Jus naturale dicitur, quod idem esse solet apud plerosque homines nobis notos. *) Nemo enim mores omnium hominum novit. Et inter eos, quos novimus, magis a potiori facienda est denominatio, quam ut universaliter loquamur.

*) *E. g. potestas parentum, dominium &c. Et deducitur adeo se-re ex natura rerum & actionum humanarum, harumque intentione.*

§. LXI.

Jus positivum est, quod variat apud plerosque homines quos cognitos habemus.

§. LXII.

Accuratius tamen loquimur, si dicimus; aliud jus esse juris naturalis, aliud juris positivi. †)

†) *V. g. patria potestas est vel juris naturalis vel positivi Romani. Confer. §. i. & ii.*

§. LXIII.

Ergo non eadem est efficacia juris naturalis in hoc significatu, quæ legis naturalis. Nam lex naturalis producit obligationem, cui homo obligatus renunciare nequit; at juri etiam naturali per dicta superius *) quilibet renunciare potest.

*) *Supra §. 9.*

§. LXIV.

Deinde lex naturalis non potest directe mutari a lege positiva; at jus tam naturale quam positivum non solum augere potest lex positiva, sed & directo tollere ac minuere, quia utrumque ex natura sua est lege naturali permisum, non præceptum aut prohibitum.

§. LXV.

Restat jus gentium: ubi capitalis quæstio ventilatur, an sit juris divini & naturalis, an positivi & humani species? A qua dependet altera: an sit mutabile an immutabile? Tolle homonymiam juris gentium, & res erit clara.

§. LXVI.

Accipitur vero jus gentium aliquando †) pro ipso jure natu-

naturali, quia eo omnes gentes utuntur. Tum haud dubie non est species juris positivi, nec species juris naturalis, sed ipsum jus naturæ, adeoque immutabile.

†) *Ut in §. i. Inst. de J. N. G, & C.*

§. LXVII.

Aliquando sumitur pro jure naturali, quod dirigit actiones gentium inter gentes. *) Tum non quidem est ipsum jus naturale in ambitu suo laxiore, sed tamen species juris naturalis, æque immutabilis, non jus humanum, quia gentes inter se communem legislatorem non habent.

*) *Ut cum legatorum inviolabilitas dicitur esse juris Gentium.*

§. LXVIII.

Aliquando accipitur pro lege positiva multis gentibus communi. †) Tum ad species juris positivi quidem refertur, sed quod tamen plerumque collectum est ex principiis naturalibus & positivis. Et pro hac diversitate partim mutabile est, partim immutabile.

†) *Ut jus Justinianum intuitu Gentium Europæarum.*

§. LXIX.

Aliquando sumitur pro facultate & attributo personæ pluribus gentibus communi. *) Tum quidem est species juris naturalis, sed æque mutabilis, ut ipsum jus naturale hujus significatus.

*) *Ita servitutes, ita commercia dicuntur juris gentium.*

§. LXX.

Denique sumitur pro moribus gentium plurium, intuitu decori. †) Tum magis de jure naturæ participat, quam de jure positivo. *) Sed tamen mutationi & variationi nihilominus est obnoxium, ut de decoro supra †† notavimus.

†) *Ita quidam incestus dicitur juris gentium.*

*) *Per §. 55.*

††) *Supra §. 47.*

§. LXXI.

Communis vero distinctio, quæ in hac controversia adhiberi solet *) inter gentes moratas ac barbaras, magis implicat, quam ut ad definiendum proficit.

*) *V. g.*

*) V.g. a Grotio de J. B. & P. lib. i. cap. i. §. 12.

§. LXXII.

Quis enim determinabit, utrum gens aliqua morata sit, utrum barbara? cum gentes inter se sint aequales, & denominatio hæc originem suam sumserit a fastu Græcorum, Romanorum aliorumque populorum, hos imitantium, & alias gentes stulte contemnentium. †)

†) Huc pertinet doctrina Aristotelis de servis natura, deductio Juris Hispanici in Indias. &c.

§. LXXIII.

Deinde, *) quia hodie plerumque gentes moratae dicuntur, apud quas plures ritus & ceremoniæ ac pompæ sub specioso, sed falso titulo decori obtinent, facile ostendi potest, gentes barbaras necessario prudentiores, & minus vitiosas ac stultas esse, quam moratas. †)

*) Doctrinam hanc contra vulgarem distinctionem gentium in moratas & barbaras, jam ante viginti quinque annos in hac Academia peculiari dissertatione explicuit ex lectionibus nostris Zieroldus. Adde Instit. Jurispr. Div. I. i. c. 3. §. 52. disput. de homin. propriis. §. 39. Cautel. circa præcognita Jurispr. cap. 15. §. 29.

†) Refutare hæc voluit Heumannus Part. 8. Actorum Philos. cap. 2. §. 20. sed facilis est ad ista responso. Et quidem ad ea, quæ §. 22. p. 244. differit, varia regeri possunt. Multa enim ibi asseruntur, quæ repugnant sensui communi & copiæ vitiorum omnium, etiam hodiernum inter gentes quæ moratissimæ esse volunt. Porro ipse Heumannus §. 19. meminit persecutionis erga hereticos & frequentissimæ inter Christianos & crudelissimæ: Mirandum quod §. 22. pag. 244. ubi dicit, quemlibet magis optaturum esse, ut sit subditus & minister Principis Europæi; quam imperatoris Turcici, per modum limitationis addat, si modo sit ejusdem cum suo Principe religionis. Nam hæc ipsa limitatio docere ipsum debuisse, quod mancipium Christianum (multo magis subditus Christianus) melioris sit conditionis apud Turcas, quam v. g. Evangelicus apud Principem Catholicon aut vice versa. Alia ut jam taceam, nam plurima ibi af-

feruntur, quæ petunt id, quod est in principio. Quæ differit in §. 23. aperte confundunt ignorantiam practicam vitiorum, cum ignorantia theoretica & stupiditate. Et quamvis forte Heumanus explicatio convenientat cum mente Justini, cognitionem virtutis ignorantiae vitiorum opponentis, nostra tamen doctrina magis convenit cum mente Taciti, qui ignorantiam vitiorum opponit eorum prohibitioni & frequentiae exemplorum. Neque credo Heumannum Gracos habituros esse pro barbaris, est, ni fallor, Lycurgus, rogatus, cur legem non tulerit aduersus parricidas, respondit, Lacedæmonios hoc vitium ignorare. &c. Plura forte alias.

§. LXXIV.

Illustrantur dicta per sententiam Taciti. Romani se rese-rebant inter gentes moratissimas, Germanos habebant pro barbaris; At nihilominus Tacitus laudat Germanos, quod ibi plus valuerint boni mores, quam apud Romanos bona leges, & in toto illo libro intendit, percurrendo omnes mores Germanorum, demonstrare veritatem asserti nostri.

§. LXXV.

Aliorum opinio, ius gentium inter ius humanum referentium,*) etiam facilime refutari potest. Vel enim sententiam suam deducere volunt ex natura pacti, vel ex jure consuetudinario.

*) Adde dicta in Inst. Jurispr. Div. lib. 1. cap. 2. §. 104. seq. ubi dispuo contra Rachelium & Grotium.

§. LXXVI.

At nunquam convenerunt gentes, ut pactum expressum inirent. Et si convenissent, est tamen præceptum juris naturalis, non positivi, pacta esse servanda.

§. LXXVII.

Neque pactum tacitum hic commode in scenam producitur, cum nullum factum gentium afferri possit, ex quo pactum illud tacitum probari queat. Neque enim imitatio sola in rebus meri arbitrii obligationem inferre potest.

§. LXXVIII.

§. LXXVIII.

Quare nec jus consuetudinarium applicari potest ad ostendendam obligationem juris gentium. Non tam, quod inter gentes deficiat superior, †) jus consuetudinarium tacite approbans, quam quod alibi *) oftensum sit, ipsum jus consuetudinarium producere quidem jus impunitatis & efficaciz, non vero obligationem.

†) *Quam rationem dedi d. c. 2. §. 109.*

*) *In disp. de jure*

consuetudinis & observantiae.

§. LXXIX.

Denique non opus est, ut prolixo moneamus, jus naturæ a quibusdam sumi tam late, ut denotet instinctum naturale homini cum reliquis corporibus naturalibus communem, †) & sic ac jure gentium seu jure naturali solis hominibus proprio distingui. Nam iste significatus juris naturalis Stoicis & JCis peculiaris hodie communiter est explosus, & non nisi Poëtis & Oratoribus usurpatur aut Leiuleiis.

†) *Uta JCis Stoicis pr. & §. 1. Inst. de J. N. G. & C.*

§. LXXX.

Neque enim bestiæ aut reliqua corpora norma indigent, neque in ea cadit obligatio. Diximus vero supra, *) jus proprium vel pro norma accipi, vel pro jure, cuius correlatum est obligatio.

*) *Supra hoc cap. §. 1.*

§. LXXXI.

Hinc nec opus habemus, ut sollicite exponamus distinctionem in jus naturæ & gentium primævum & secundævum, ad nihil aliud inventum, quam ad salvandam doctrinam Triboniani. †)

†) *In §. 1. & 2. Inst. de J. N. G. & C.*

CAP. VI.

DE

**PRINCIPIO JURIS NAT. ET
GENTIUM, ET PRINCIPIS JUSTI,
DECORI, HONESTI.**

SUMMARIA.

Per principium hic intelligitur principium cognoscendi. i. Unde buc non pertinet voluntas Dei, 2. quia dubium manet, unde cognoscatur voluntas Dei. 3. Requisita principi cognoscendi, ut sit verum, adaequatum, evidens. 4. Jus naturæ an obliget, etiam si demus, Deum non esse, aut non curare negotia humana? 5. Negatur, si jus naturæ est species Legis proprie dictæ. 6. Jus naturæ etiam obligat homines, de Deo erronee sentientes. 7. Dürities loquendi in illa sententia mitigatur, si dieas, jus naturæ obligare etiam atheos. 8. Voluntas Dei etiam est principium legis divinae positive. 9. Convenientia cum sanctitate Dei non est principium primum cognoscendi. 10. Ut erque significatus sanctitatis, (Judaicus & Juridicus) non monstrat intrinsecam sanctitatis naturam, ii. & magis suppeditar argumenta contra hoc principium, quam pro eo. 12. Convenientia cum statu integro etiam non potest esse principium primum. 13. Doctori juris naturalis non necessariam esse notitiam de origine generis humani. 14. Quia inscriptum etiam est cordibus insipientium omnium. 15. Abstrahit vero Doctor Juris naturalis doctrinæ originis generis humani, non supponit aut fingit, homines fungorum instar a terra prognatos. 16. Servationem pectorum non esse primum principium juris naturæ. 17. Nec illam propositionem: querendam esse pacem, ubi haberi potest, ubi non potest, querenda esse belli auxilia. 18. Etiam custodiam socialitatis miscere precepta honesti, decori, justi. 19. Ordinem naturæ pariter non esse principium primum juris

juris

juris naturæ. 20. Propositionem primam Juris naturæ late dicti
 esse: Facienda esse, quæ vitam hominum reddunt maxime diutur-
 nam & felicissimam. 21. Probatur hujus principii veritas, 22.
 perspicuitas. 23. adaequatio. Comprehendit enim omnia præce-
 pta honesti, decori, justi. 24. Per homines hic intelligi & uni-
 versos & singulos. 25. 26. Neutrūm est universaliter verum, fe-
 licitatem universitatis præferendam felicitati singulorum, aut hanc
 illi. 27. Per felicitatem intelligitur, quæ simul si vera & tamen
 ad palatum stultorum, 28. i. e. maxime ladabilis, suavissima &
 sufficientissima. 29. (Commendatio ignominiae, dolorum & extremæ
 paupertatis stultos non emendat, sed doctrinæ sapientie obest. 30.)
 Sed simul summe quieta 31. & adeo simul honesta, decora, ju-
 sta, 32. Hoc pacto sapiens dolo bono oppugnat stultorum vicia,
 33. Bono honesto inquietam jucunditatem voluptatis, decoro in-
 quietam gloriam ambitionis, justo insufficientiam avaritiae. 34. Ho-
 nesto bono prospicit paci internæ, decoro pacis externæ acquisitioni,
 & justo conservationi ejusdem. 35. Quare perspicitur necessaria
 unio horum trium bonorum, 36. quia vita tantum justa, aut tan-
 tum decora, aut tantum honesta esset vita infelix. 37. 38. Nihilomni-
 nus tamen haec tria distincte proponenda in principiis cognoscendi
 generalibus. 39. Primum principium honesti: Facibit, quæ ab aliis
 tibi vis fieri. 40. Decori: Fac alii, quæ tibi non vis fieri. 41. Justi:
 Non fac alii, quæ tibi non vis fieri. 42. Conclusiones horum
 principiorum in doctrina honesti. Primaria: Pœnitendum esse:
 43. Variæ declarationes serja pœnitentia. 44. Spem cupiditat-
 um erigendam esse sapientibus mediis. 45. Jucunditatem tem-
 perantia, gloriam mansuetudine, sufficientiam liberalitate. 46.
 Excessum cupiditatum reprimendum meū dolorum, quæ volupta-
 tem; ignominiae, quæ ambitionem; paupertatis, quæ avaritiam
 comitantur. 47. Fugiendas esse occasiones irritantes, querendas
 tales, quæ suppressunt. 48. Vel certe non fugiendas has occasio-
 nes esse, non querendas illas. 49. Evitandam esse securitatem &
 desperationem. 50. Utendum esse conservatione hominum, qui
 mores habent nostris oppositos. 51. Non anxie inquirendam esse
 passionem dominantem, sed oppugnandas esse omnes. 52. Non
 differ-

differendam esse emendationem. 53. Non desinendum esse. 54.
 Non querendam esse solitudinem. 55. Conclusiones principii de-
 cori. Primaria: Remittendum sponte esse de jure proprio. 56.
 Usus ejus, sive liber sis, sive servus, sive imperans. 57. intuitu
 bonorum tam priorum, quam communium. 58. Grata aliis
 facienda promte & sincere: parum grata non nisi necessario &
 quasi coacte. 59. Non danda esse scandala, tam grata, quam
 non grata. 60. Patienter ferendam esse aliorum stultitiam. 61.
 Conclusiones principii justi. Primaria: Non turbandoz alios in
 usu juris sui. 62. Ergo non occidendum, non furandum esse &c.
 63. Simplicitas & evidentia preceptorum sapientia postulat, ut evi-
 tetur cavillatio & inutilis scrupulositas. 64. An præcepta decori,
 cedant præceptis justi? 65. Præcepta honesti, decori, justi non
 esse collidenda. 66. Indistincte nec decora justis, nec justa deco-
 ris cedere, 67. Prudentia hic opus esse. Stulto nullas prodeſſe
 regulas prudentiae; Sapienti eiſ non opus eſſe. 68. Regulas alio-
 rum non tollere scrupulos scrupulosorum. 69. Cavillationes ta-
 men preceptorum allatorum eſſe facile ſolubiles. 70. ſi modo ſin-
 gula præcepta referantur ad ſuos fontes. 71. Utilis comparatio
 preceptorum honesti, decori, justi. Regulae justi coercent malum
 ſummum, decori medium, honesti infimum. 72. Contra regulae
 justi promovent bonum infimum, decori medium, honesti ſum-
 mum, 73. Homo injuſtus eſt extreme ſtultus, indecorus medie,
 in honestus infime. 74. Homo justus infime sapiens, decorus me-
 die, honestus maxime. 75. Quoad exiſtentiam sapiens, qui de-
 core vivit; ſtultus, qui injuſte, medius, qui juſte, ſed parum de-
 core. 76. Quotidie tamen sapienti rendendum altius. 77. inci-
 picendum tamen ab infimis, tanquam facilioribus; a juſto ad de-
 corum & honestum. 78. Regulae justi ſunt magis neceſſariae, decori
 magis nobiles, honesti magis preſtanties. 79. Regulae justi & ho-
 nesti pauciores limitationes admittunt, quam regulae dece-
 ri. 80.

J. I.

§. I.

Per principium hic non intelligitur principium *) obligandi in jure nat. & gent. sed propositio prima & generalissima juris naturæ, unde reliqua omnia deduci possunt.

*) *Metaphysicorum stylo, non principium essendi, sed cognoscendi.*

§. II.

Unde fluctus movent in simpulo, qui acriter disputantes contra principia aliorum confugiunt deinde ad voluntatem Dei. †)

†) *Huc pertinet disputatio inter Dn. Coccejum & Dn. Ludovici.*

§. III.

Neque etiam dubium tollant, cum postea quaeratur: unde cognoscam, utrum hoc vel illud sit voluntas Dei.

§. IV.

Debet autem primum principium, quod quaerimus, esse primo verum, *) h. e. cuius prædicatum cum subjecto necessario connectitur. Deinde perspicuum, hoc est, ut non solum convenientat cum intellectu sapientum, sed & sit ad captum & sensum communem stultorum; alias enim nunquam eis persuadebit. Denique adæquatum, ut & omnia & sola præcepta juris naturæ inde deriventur.

*) *Conf. Instit. Jurispr. Div. l. i. c. 4. n. 3. seq.*

§. V.

Uti igitur modo notatum, convenientiam cum voluntate Dei non esse posse principium perspicuum; ita & de ejus veritate multi dubitant, eo quod dicant, jus naturæ etiam obligatum esse, et si demus, Deum non esse, aut non curari ab eo negotia humana. †)

†) *Ut Grotius in proleg. de J. B. & P. ex doctrina Scholasticorum.*

§. VI.

Etsi vero hoc dubium ab aliis sit rejectum, & recte rejicitur, si jus naturæ doceatur esse species legis stricte dictæ,

*) qua-

*) quatenus consilio opponitur & obligationem externam producit; quia tamen hæc sententia modo est rejecta, jam aliter est pronunciandum.

*) *Conf. Inst. Juri pr. Div. l. i. c. 2. n. 14. seq. & hic c. 5. §. 30. seq.*

§. VII.

Scilicet sufficit ad obligationem juris naturæ internam & ad ejus vim consulendi stultis, demonstratio necessariæ & naturalis connexionis damnorum infinitorum cum vita stulta, & infinitorum bonorum cum vita sapiente, etiamsi stulti erroneous habent opinionem de autore naturæ, Deo.

§. VIII.

Quod si vero tum durities loquendi tibi minus grata sit, †) aliam substituere licebit minus duram. Hoc enim volunt dicere autores illius sententiaz; quod jus naturæ obliget omnes homines, quamcunque etiam sententiam de Deo habeant, sive sint vere pii, sive superstitionis, aut Athei.

†) *Ac si faveat Atheis, quod taxant communiter in Gretio commen-tatores.*

§. IX.

Denique nec adiquatum est illud principium, cum non sit juri naturæ proprium, sed conveniat etiam legi Dei positivæ, quæ ab iis docetur, qui verbum revelatum exponunt.

§. X.

Iisdem nævis laborat eorum principium, qui fundamen-talem propositionem juris nat. querunt in convenientia cum sanctitate Dei, ut jam alibi *) fusius ostensum.

*) *Inst. Juri pr. Div. l. i. c. 4. §. 20. 28. p. 127. seq. ubi etiam ori-go hujus doctrinæ ex paganismo fuit ostensa. Adde interesse Cle-ris, ut hoc pacto ipsi soli explicare possint jus Naturæ vel dereli-ctum a Philosophis & Jctis, vel etiam illis sub isto praetextu abla-tum.*

§. XI.

Adde, quod cordibus hominum non inscriptum fit, in quo consistat sanctitas divina. Sive enim consideres signifi-cationem sanctitatis judaicam, sanctum nihil aliud est, quam quod

quod ob suas præstantias & perfectiones singulares separatum debet esse ab aliis rebus imperfectioribus: sive significationem juridicam, sanctum est, in cuius violatores pœna statuta est. Neutrum vero horum docet internam aliquam sanctitatis naturam, sed potius relationem rei ad res externas.

§. XII.

Utraque vero hæc descriptio f) ita comparata est, ut potius inde argumentum desumere possis probandi sanctitatem divinam non posse suppeditare fundamentalem propositionem, quam ut sententia adversa multum ibi inveniat, quod doctrinæ ipsorum inserviat. *)

†) Prima, quia docet, non esse principium perspicuum & adæquatum. Conf. d. c. 4. n. 22. seq. Posterior, quia lex naturalis non dictat pœnas externas & arbitrarías. *) Adde quod etiam istud principium non sit verum. Uti enim natura unius creature non potest esse norma alterius creature, sed qualibet creature agit secundum normam vel naturam propriam, ita multo minus natura creatoris potest esse norma creature. Unde quemadmodum v. g. gratitudo non potest deduci ex natura divina, ita & in regulis justitiae id est evidens. Docent Theologi nostri contra Socinianos. Deum non potuisse salva justitia sua condonare peccata Adamo sine satisfactione. At salva justitia humana Magistratus quotidie exercet jus aggratiandi. Consentunt omnes, hominem peccare contra leges justitiae, si innocentem, etiam volentem torqueat, & hujus torturam imputet nocenti; (conf. c. ult. huj. lib. §. 30. 31.) at contraria omnia salvis regulis justitiae divina fieri posse docent Domini Theologi.

§. XIII.

Convenientiam actionum humanarum cum statu integro etiam jam alibi †) rejecimus, ostendentes, & hoc fundatum nec verum esse, nec evidens, nec adæquatum.

†) In Inst. Jurispr. Div. d. c. 4. §. 40. seq. p. 133. seq.

§. XIV.

Ostendent vero ibidem dicta, *) quod Doctori juris naturalis non necessaria sit genuina doctrina de origine generis huma-

Humani, quia hominibus hodiernis norma præscribenda est. Medicus vero in cura applicanda corpori ægroti, non inquirit in primam originem ægroti aut inconstitutionem corporis, quia prædictus fuerit primus familiae stipes.

*) *Vide potissimum §. 41.*

§. XV.

Et si jus naturæ ita cordibus hominum inscriptum est, ut obligationem aliquam excitet in hominibus, quamcunque illi etiam erroneam de Deo sententiam habeant, erit etiam idem aptum, persuadere stultis, quamcunque etiam de origine generis humani opinionem foveant.

§. XVI.

Quare supersedere possumus labore Herculeo, alibi †) quidem jam incepto, purgandi stabulum Augiæ, i. e. ostendendi infinitos errores doctrinæ communis de natura status integræ; Abstinemus tamen etiam, ne irritemus crabrones, suppositione, *) ac si, quæ gentilium fuit opinio, homines vel fungorum vel animalium instar e terra prognati fuerint, vel saltem hujus sententiaz fictione. ††) Sed doctrinam de origine generis humani plane seponimus, & a sententia Christianorum & gentilium hic quidem abstrahimus.

†) *Instit. Jurispr. Div. lib. 1. c. 2. §. 10. ad 62.* *) *Ut fecit Hobbesius.* ††) *Uti fecit Pufendorffus, quamvis hanc fictionem justè defenderim d. l. i. Inst. Jurispr. Div. cap. 4. §. 35. seq.*

§. XVII.

Sunt, qui fontem omnis juris faciunt; pacta esse servanda. *) Sed & hoc locum non tuebitur. Supra †) jam ostendimus, pacta per se non producere obligationem citra legem, ergo non possunt esse fons legum. Præterea dantur jura ante omnia pacta humana, e. g. jus libertatis, defendendi vitam & membra &c. i. e. quæ supra **) vocavimus jura connata.

*) *Uti iterum Hobbesius.* †) *Supra c. 4. §. ult.* **) *Supra cap. 5. §. 12.*

§. XVIII.

Istud vero: †) quarendam esse pacem, ubi haberi potest; ubi

ubi non potest, querenda esse belli auxilia: si non attentius consideres, se variis ex causis commendare videtur. *) Quod si vero accuratius paulo intuearis, præterquam quod non comprehendat præcepta honesti, sed loquatur saltem de pace externa, etiam intuitu præceptorum justi ac decori obscurius est. Istud enim, *ubi haberit potest*, sic comparatum est, ut, nisi ex alio principio palpabilius explicetur, det cuicunque occasio- nem, qui jura naturalia violavit, prætexendi, quod pacem habere non potuerit. ††

†) *Quod iterum Hobbesii dogma est. Aliter respondi in Inst. Jurispr. Div. I. i. c. 4. §. 19. lit. g. quod tamen nunc non ita placet.*

*) *Videtur enim idem inculcare ac custodia socialitatis.*

††) *Quotidie videmus etiam maximos rixatores simili modo abuti dicto Apostoli: Halte Friede mit jedermann, so viel an euch ist. In prefatione formulæ concordias heissen ganz gierige Leute, die an keine gewisse Form gebunden seyn wollen. Fabula de lupo & agno etiam pueris nota est.*

§. XIX.

Custodia socialitatis hactenus *) quidem a nobis contra objectiones dissentientium non male defensa, jam displicet, quia partim ambagibus obus est in deducendis hominis officiis erga seipsum; †) partim non adeo perspicue comprehendit præcepta honesti, **) partim etiam vel miscet ††) vel certe non accurate fecerit præcepta justi & decori. ***)

*) *In Inst. Jurispr. Div. I. i. c. 4. §. 49. & 74. †) Vide d. c. 4. §. 76. & lib. 2. c. 2. §. 2. 3. 4. **) Vide iterum totum cap. 2.*

*I. 2. Inst. Jurispr. div. collatum cum iis, quæ hic docentur §. 43. seq. ††) In lib. 2. c. 6. de officiis humanitatis. ***)* *In lib. 3. cap. 2. & 3. de matrimonio.*

§. XX.

Eadem & plura desideramus in ordine naturæ ab alijs fundamenti juris nat. loco in medium producto. Res jam alibi deducta prolixius. †)

†) *In dissert. de fundament. causarum matrim. aliter jaciendis.*

§. XXI.

Ergo jam quidem simplicissime sic dicendum videtur. Norma universalis quarumvis actionum & fundamentalis propositio juris nat- & gentium late sic dicta est: Facienda esse, quæ vitam hominum reddunt & maxime diuturnam & felicissimam; & evitanda, quæ vitam reddunt infelicem & mortem accelerant.

§. XXII.

Est hæc propositio vera. In eo enim diximus *) consistere stultitiam passionum humanarum, quod cum omnes ament vitam longissimam & felicissimam, omnes tamen actionibus suis vitam destruant, eamque reddant infelicem. Imo apud omnes gentes donum Dei maximum habetur vita longa & felix. †)

*) scil. cap. 3. §. 42.

†) *Adde totum caput I. der Einleitung zur Sitten-Lehre de natura boni. Dicta illustrantur ex Scriptura Sacra per promissionem quarti præcepti, per doctrinam de vita aeterna & pœna inferni.*

§. XXIII.

Est perspicua. Est enim connexio subjecti cum prædicato valde ad captum & palatum stultorum, cum omnes velint vivere feliciter & diutissime. *) Unde errant, qui stultos volunt reddere sapientes, & tamen initio multa de difficultate virtuosoꝝ vitæ, de vitæ diminutione per eam, de incommodis multis vitam virtuosam comitantibus differunt. †) Et parum apta est ad alliciendos insipientes fabula Socratica de Hercule in bivio. **)

*) *Eadem est methodus Christi. Incipientibus proponit doctrinam de jugo levi. Matth. XI. 28. Apostolis & adultis de cruce. Matth. X. 38. & XVI. 24. Et sic intelligendum quod Apostolus dicit i. Cor. I. 18. quod doctrina de cruce sit stultitia iis qui pereunt.*

†) *Ut faciunt Doctores Pharisæi incipientes a doctrina de cruce: præprimis cum communiter more ethnico crux sepe explicetur, de abnegatione solius voluptatis, & quilibet sibi crucem fingat pro lubitu. Dicendum hac occasione de Cruciatis, de Cardinale Xime-*

Ximenes, cruce lignea vel ferrea hostes aggrediente. ^{**) Im-}
 primis cum impossibile sit hominibus nudipedibus per medias spi-
 nas ire: ut adeo ridiculum sit inventum Albertinum consulendi
 discipulis, ut inter spinas ocreati ambulent. Notandum etiam
 est ex illa fabula, quod pro vitio sola voluptas habeatur, ambitio
 vero & gloria cupiditas pro virtute &c.

§. XXIV.

Est adæquata: Quia, ut jam videbimus, & comprehen-
 dit sub se omnia præcepta moralia, & simul suppeditat clavem
 secernendi principia honesti, decori, justi.

§. XXV.

Igitur jam declarandi paucis sunt termini hujus axioma-
 tis. Mentio facta vitæ hominum. Sed quorum? an univer-
 sorum? an singulorum? & quinam, si concurrent, præferend?
 Jam supra ^{†)} ostensum, philautiam & amicitiam non esse sub-
 ordinandas aut opponendas, sed coordinandas.

^{†)} Supra cap. 4. n. 39.

§. XXVI.

Universi ex singulis constant. Ergo si singulis non est
 bene, quomodo felix esse potest universitas. Contra singu-
 lorum felicitas est imaginaria, si fit conjuncta cum infelicia
 te plurium.

§. XXVII.

Igitur utrumque falsum est, sive universaliter asseras, ^{*)}
 felicitatem universitatis esse præponendam felicitati singu-
 lorum, sive universaliter asseras, curam felicitatis propriæ
 præverendam esse felicitati aliorum. ^{†)} Variantibus circum-
 stantiis salus aliorum modo postponenda, modo præponenda
 saluti nostræ. Ergo decisio quæstionis non ad principium
 pertinet, sed ad conclusiones. ^{**)}

^{*)} Uti fieri solet in doctrina communi Scholasticorum. ^{†)} Uti
 Hobbesius docet.

<sup>**) V. g. in questionibus de defensione
 vita contra aggressorem. Vide infra dicenda ad lib. 2. cap. 2.</sup>

§. XXVIII.

Sed cum supra ^{†)} monitum sit, stultos habere varios

& pugnantes, imo erroneous conceptus de felicitate & infelicitate, jucunditate, dolore &c. sane, si non palpabiliter explicetur quid sit vita felicissima, erit principium hoc obscurum. Quomodo vero id explicari posset, ut sit ad captum omnium stultorum, & non fiat præjudicium veritati? Imo vero potest. Sa piens medium imitatur, qui aliquo modo applicando se ad palatum ægroti eo ipsum perducit, quo non perduxisset, si cruda medicamenta dedisset.

†) *Supra c. 3. n. 19. seq. item n. 59. seq.*

§. XXIX.

Igitur vita felicissima est, quæ simul & maximam laudem meretur, & suavissime transfigitur, & omnium rerum sufficientia prædicta est. Est hæc vita ad palatum omnium hominum: ambitiosorum ob laudem, luxuriosorum ob svavitatem, avarorum ob sufficientiam. Et tamen veritati nihil præjudicatur. Nam quis neget, vitam sapientum esse maxime laudabilem, suavissimam & sibi sufficientem? *)

*) *Ita Christus jugum suum vocat suave & leve. Ita David Ps. 34. v. 13. seq.* Wer ist der gut Leben begehret, und gerne gute Tage hätte: der hätte seine Jungs für bösen, und seine Lippen, daß sie nicht falsch reden. Läß von Bösen, (*en bonum honestum*) und thue Gutes, (*en decorum*) suche Friede, (*en justum*) und sage ihm nach.

§. XXX.

Vides itaque, non esse opus in doctrina sapientiæ, ut insipientibus proponatur commendatio ignominia, dolorum & extremæ paupertatis. Imo sensus communis ostendit, hanc methodum stultos quidem reddere posse summe dementes, aut deplumare eos, aut decipere, †) non vero posse reddere sapientes, sed doctrinæ sapientiæ obesse:

†) *Ita monachi ante reformationem commendans paupertatem deplumabant divites; obedientiam & ignominiam, supprimebant potentes; dolores corporis, ipsi fruebantur summis delicis. die Layen brachten ihnen gebratene Hühner, und fraßen Dissteln.*

steln. Sie geisselten sich, indessen machten jene sich mit ihren Weiber lustig.

§. XXXI.

Sed mox tamen sapiens stultos in viam rediget offendendo, quod hæc tria non nisi invita quieta conjuncta sint, & quod in quies stultorum omnis generis privet eos vera jucunditate, laude & sufficientia. *)

*) Commentarii loco hic erunt dicta in der Ausübung der Sitzen-Lehre, cap. 9. §. 5. ad 13. cap. 10. §. 3. ad 13. & cap. 11. §. 7. ad 14.

§. XXXII.

Tum perget sapiens, conjuncta iterum separando, ostendere, quod nec quiete vivere quis possit, nec laudabiliter, nec suaviter, nec sufficienter, nisi quis vivat honeste, decore, juste. Docebit, nullam esse veram svavitatem & jucunditatem vitæ, nisi honestam, nullam vitam laudem mereti, nisi decoram, nullam sufficientia vera frui, nisi justam.

§. XXXIII.

Ita sub hoc involucro ad palatum insipientis aptato insinuabit sapiens medicinam universalem contra vitia universalia. Etsi enim & honesta & decora & justa vita singulis etiam respectibus omnia tria vitia capitalia aggrediatur; singuli tamen conceptus etiam singula vitia præprimis oppugnant, idque dolo optimo.

§. XXXIV.

Vita honesta cum sua suavitate & jucunditate fortissime oppugnat insuaves delicas & injucunda gaudia voluptatis. Vita decora cum sua laudabilitate oppugnat illaudabilem cupiditatem ambitionis. Denique vita justa cum sua sufficientia suffocat sitim in explebilem avaræ insufficientiæ.

§. XXXV.

Cum tamen omnes tres affectus vitiosi & pacem internam, seu tranquillitatem animi impedian, &, si in actiones externas prorumpant, pacem cum aliis hominibus externam turbent, tantum abest, ut alios homines impellant ad pacem exter-

externam conservandam, etiam his defectibus medentur vita honesta, decora & justa. Honesta quidem, ut proficiatur paci internæ; decora, ut alii allicantur ad auxilia nobis præstanta, & promovendam pacem externam; justa, ut alii non irritentur ad turbandum pacem externam.

§. XXXVI.

Neque tamen separanda hæc tria, quia amica conspiratione natura sua unita sunt: †) quemcumque etiam respectum ex modo dictis attendas.

†) Posset igitur sano sensu etiam dicere, & hæc tria unum sunt.

§. XXXVII.

Quid enim prodesset *) justa vita sufficientiam animi testari, si in vita indecora dominetur ambitio, & in vita inhonesta voluptas? Quid prodesset, vita decora sibi comparare laudes aliorum, si vita injusta & inhonesta merearis vituperium? Quid denique prodesset, vita honesta suavem & non injundam vitam vivere, si simul vita indecora & injusta eam reddas injundam?

*) Habet hic miseriam oriundam ex dominations duorum viliorum capitalium ad ductum §. 34.

§. XXXVIII.

Rursus, quid juvaret †) vita honesta sopire ebullientes animi affectus, si non vita decora alii moveantur, ut subveniant quotidianæ indigentiaz, si non vita justa impediantur, ne pacem tuam turbulent? quid juvaret, actionibus decoris aliorum adjumenta provocare, si freна laxando cupiditatibus, te indignum redderes aliorum auxilio, si actionibus injustis eos simul provokes ad nocentum? Denique quid juvaret, actionibus justis neminem irritare ad inimicitiam, si non actionibus decoris eorum excitares animum benevolum, si actionibus non honestis perpetuo hostem intra te sentires?

†) Habet hic miseriam oriundam ex carentia virtutum duobus vi-
tiis capitalibus oppositarum ad ductum §. 35.

§. XXXIX.

Sed postulat tamen methodi ratio, ut hæc tria intime u-
nita

nita sapiens iterum mente separat; i. e. ut principia honesti, decori, justi distincte proponat, ne animum dicendi cupidum eorum confusione turbet.

§. XL.

Primum itaque principium honesti hoc est: **Quod vis, ut alii sibi faciant, tute tibi facies.** *)

*) *Sub factis tamen etiam hic comprehenduntur non facta.*

§. XLI.

Decoris: *Quod vis ut alii tibi faciant, tu ipsis facies.*

§. XLII.

Justi: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.*

§. XLIII.

Ergo †) quoad regulas honesti: incipies a seria pœnitentia. Est vero pœnitentia seria agnitione propriæ stultitiae. Modus agnoscendi variat.

†) *Nam vis, ut alii se emendent: Hinc supra c. 3. §. 29. dixi, homines in perspiciendis aliorum stultiis esse lynceos.*

§. XLIV.

Si itaque hilaris animi es, ridebis; *) si tristis, plorabis; si serui, indignaberis.

*) *Te tamdiu suisse stultum. Non quod approbes & gaudeas, sed quod te ipsum irrideas. Vide omnino Cautelas circa præcognita Jurispr. cap. 1. §. 89. seq. & ad Lancel. Inst. Jur. Canon. lib. 2. tit. 5. not. u7. 121. sect. 2. 123. 128. &c.*

§. XLV.

Tum diriges actiones tuas, ut optatum finem †) consequantur, quem frustra putasti te consecuturum esse cupiditatibus tuis.

†) *Repete dicta §. 31. Huc pertinet preceptum de non appetendis impossibilibus in lib. 2. cap. 2. §. 32. Iustit. Jurispr. div.*

§. XLVI.

Si delectaris *) gusta & re venerea; summa & maxime durabili jucunditate fruuntur temperantes. Si gloria; maxima gloria est, vincere seipsum, nobilissima vindicta condonare inimicis, iisque benefacere. Si cupidine ha-

bendi; quo plus dabis sine certa spe retributionis, eo plus accipies.

*) *His erigitur spes.*

§. XLVII.

Si voluptari deditus es, †) metues dolores cupidinem voluptatis necessario & concomitantes & sequentes: si ambitioni, metues ignominiam & odium ac vituperium, quod evitare ambitionis nequeunt; si avaritia, metues perpetuam paupertatem in qua vivunt, qui paucis non sunt contenti.

†) *His excitatur metus.*

§. XLVIII.

Fugies occasiones, *) quæ irritant cupiditates tuas, quæres occasions, quæ eas supprimunt.

*) *Habes hic adjumenta potentiarum externalarum.*

§. XLIX.

Quod si nimis adhuc imbecillis sis, †) ut nec fugere possis fugienda, nec quærere quærenda: saltem non fugies occasions cupiditatibus adversas, quæ quotidie, te non quærente, se tibi offerunt, nec quæres occasions cupiditates excitantes, quæ se non sponte offerunt.

†) *Habes hic responsonem ad objectiones in der Ausübung der Sitten-Lehre. c. 15. §. 9. 10. 11.*

§. L.

Succubuisti cupiditatibus tuis, surges ne perpetuo jaceas. Viciisti, cogitabis, quod succumbere possis. Ita evitabis & securitatem & desperationem.

§. LI.

Uteris conversatione hominum laborantium, si ignavus es, placidorum, si iracundus, beneficorum, si invidus. *)

*) *Notabis autem hoc loco, tñnaviam esse characterem voluptatis, iracundiam ambitionis, invidiam avaritiae, per ea, quæ dixi in der Ausübung der Sitten-Lehre cap. 13. Confer cum presenti precepto ea, quæ de magna vi exemplorum in emendatione morali dixi cap. seq. §. 9. seq.*

§. LII.

§. LII.

Non scrupulosus †) eris in inquirenda nimis curiose tua passione dominante, sub prætextu, ne more stultorum solam oppugnes tuam passionem infimam; omnes deprimes, quia semina omnium habes, *) & quia passio infima nimis irritata & que gravia damna parit ac suprema. Ita neque passio dominans evadet.

†) *Hic respondetur ad objectionem d. c. 15. §. 7.* *) *Ita medius facit, si agratus laboret pluribus morbis. Ita qui aedes purgat, procedit &c.*

§. LIII.

Non exspectabis †) commodum tempus incipiendi emendationem tuam. Omnia tempora commoda sunt. Quo prius incipes, eo majores progressus facies, quo tardius, eo difficultior erit pugna. *)

†) *Contra procrastinationem.* *) *Ergo hoc intuitu etiam juvenis est idoneus auditor ethices.*

§. LIV.

Non determinabis tempora eandem finiendi: †) Quo diutius continuabis hanc luctam, eo plura invenies in te emendanda, quo citius desines, eo majores vires stultitia tua recipiet.

†) *Nam vitanda securitas per dicta §. 50.*

§. LV.

Non quæres solitudinem, *) neque separabis te ab hominibus, etiam stultis. Nutrit solitudo & voluptatem & ambitionem & avaritiam. Etiam si effugeris reliquos stultos, afferes tamen stultitiam propriam adeoque tibi periculosisimam, in ipsam solitudinem; si stultos velis evitare in solitudine, fugies etiam a sapientibus, qui tibi & imperio & consilio auxilium ferre poterunt.

*) *Contra monachos & Pharisæos hodiernos.*

§. LVI.

Quoad regulas decori, †) Remittes sponte de jure tuo. *) Hoc est, præstabis indigentibus, ad quæ jure cogi non poteris, condonabis, si opus sit, ad quæ jure cogere poteras alios.

†) Connexionem quare §. 44.

*) Nam hoc vis, ut alii tibi faciant.

§. LVII.

Liberitate gaudes, præstabis aliis officia humanitatis, amicis beneficia. Servis aliorum imperio; plura præstabis, quam ad quæ jure obstrictus eras. †) Imperas aliis, præmia dabis etiam non merentibus, pœnas remittes merentibus.

†) Huc pertinet quæstio, quam tractat Seneca in libris de Beneficiis: An servus possit dare beneficium domino.

§. LVIII.

Bona possides, sive propria, sive communia, vendes aliis, aliis locabis, *) aliis gratis utenda concedes, aliis donabis.

*) Etsi enim venditio & locatio regulariter non sint contractus beneficii, possunt tamen intervenire certæ circumstantiae, ut quandoque possint referri ad officia humanitatis, quandoque ad beneficia. Rides? An oblitus es feudorum emitorum?

§. LIX.

Quæ grata sunt aliis, prompte exhibebis, quantum in te est, & hilari, sed sincera & non fucata fronte; quæ non grata, non præstabis, †) nisi ratio recta id exigat, sed absque testatione gaudii. *)

†) Habes hic regulam respicientem scandalum non gratum.

*) Ut medicus in cura ægroti, doctor morum in emendatione stultorum, princeps in puniendis delinquentibus.

§. LX.

Abstinebis ab actionibus etiam justis & licitis, si sentias, illis aliorum passiones irritari; †) abstinebis vero etiam ab actionibus justis & licitis, si sentias, eas ex natura communis imbecilitatis humanæ aliis esse parum gratas. *) Ita evitabis utrumque scandalum & gratum & non gratum. ††)

†) Habes regulam respicientem scandalum gratum.

*) Hac regula iterum respicit scandalum non gratum. Utrobique vero fit remissio quadam de jure proprio. ††) Distinctio hac inter scandalum gratum & non gratum, magis perspicua est, quam communis distinctio inter scandalum datum & accepit, de qua vi-

de Hutterum compend. Theol. loc. 23. Voet. part. 4. disput. select. p. 146. seq.

§. LXI.

Quod si alii †) aduersus libertatem, imperium, proprietatem tuam fecerint, memor imbecillitatis humanæ vel id dissimulabis, vel a vindicta etiam licita & justa, quantum ratio admittit, abstinebis, vel saltem aliquid remittes.

†) Respicit hoc præceptum virutent patientia, de qua pluribus egi in der Ausübung der Sitten-Lehre cap. 5. n. 59. seq.

§. LXII.

Denique quoad regulas justi. *) Non turbabis alios, nec impedies in usu juris sui s. superiores s. inferiores, sive pares; omnes enim sunt æque homines.

*) Connexionem iterum quære §. 44.

§. LXIII.

Ergo non vulnerabis, non occides, *) non contumelia afficies, non nocebis mendacio, non furtum facies, non damnum dabis, non violabis fidem datam. †)

*) Ne violes jus alterius connatum. †) Ne violes proximi jus acquisitum. Repete dicta superius cap. 5. §. 11. seq.

§. LXIV.

Habes hic complexum præceptorum justi, decori, honesti; facilia sunt singula, si ad fontes referas. Multæ difficultates orientur, si cavillari velis, eaque impudenti curiositate inter se committere. *)

*) Unde cavenda nimia subtilitas inquirendi, quodnam præceptum in concurso alteri sit preferendum.

§. LXV.

Ita dictum est in regulis decori, omittendas esse actiones etiam justas & licitas, si aliis sint parum gratæ. An ergo poenas ubique omittet imperans, quia parum gratæ sunt delinquentibus? An vero præcepta decori debent cedere præceptis justi, †) aut hæc istis?

†) Nam ex præceptis justi & fide data princeps obligatur ad puniendos delinquentes.

§. LXVI.

Jam ante *) monuimus, honesta, decora, justa, non esse subordinanda & collidenda, sed coordinanda. Alias & inter præcepta singularum classum infinita orietur collisio. Ita non occides, est inter præcepta justi, & tamen princeps ex fide data delinquentes punire obstrictus est.

*) *Supra §. 36. seq. Conf. cap. 4. §. 39.*

§. LXVII.

Si indistincte præcepta decori deberent cedere regulis justi, nulla unquam esse posset aggratiatio delinquentium. Si regulæ justi deberent cedere regulis decori, nullum locum haberet ulla pœna. †)

†) *Aut ulla coactio bellica vel actio civilis.*

§. LXVIII.

In his omnibus præceptis comparandis prudentia opus est, quæ singularum regularum ampliationes & limitationes suppeditabit. Ac prudentia non discitur, sed acquiritur actionibus bonis. Si stultus eris, semper cavillaberis regulas hic suppeditandas. Si sapiens, talibus regulis non indigebis.

§. LXIX.

Neque enim regulæ ab aliis hic suppeditatæ, quam caute etiam præscribantur, tales sunt, ut in iis non paucæ remaneant utique addenda limitationes. *) Minima circumstantia variat regulas juris naturalis, vel potius earum applicationem. At non nisi sapiens capax est ad harum circumstantiarum debitam & circumspectionem & trutinationem. Sæpe igitur ex his causis inclinat in applicatione ad regulas justi, sæpe ad regulas decori: Nunc illud inculcat: Fiat justitia & pereat mundus. Nunc aliud; summum jus summa injuria.

*) *Grotius lib. 2. c. 16. §. 29. & Pufend. lib. 5. c. 12. §. 23. aliquot regulas tradunt interpretandi vel limitandi, quodnam præceptum alteri cedere debeat, si diversæ leges naturales inter se collidentur. Confer. qua & ipse ea de re attuli in Inst. jurispr. div. lib. 2. c. 12. §. 139. seq.*

§. LXX.

§. LXX.

Non tamen putabis, hæc a nobis adduci, ut effugia quæramus, ne cogamur respondere ad objectionem insolubilem. Talia plerumque sunt dubia, quæ cavillatores legum naturæ ex prætensa aliqua earum collisione formant, ut eorum solutio sponte & palpabiliter se offerat cuilibet affectibus vacuo.

§. LXXI.

Refer singula præcepta ad suos fontes. †) Non faciendæ sunt actiones justæ & licitæ, si aliis sint parum gratæ, est præceptum decori. Fons; remitte sponte de jure tuo. *) Conclusio ex regulis justi est: punies delinquentes. ‡) Fons; non turbabis alios in usu juris sui; rivulus inde derivatus; Non violabis fidem datam. Alium ergo plâne sensum habet conclusio ex præcepta remissione juris sui derivata. Alium conclusio ex prohibita turbatione juris alieni.

†) *Ita nulla erit contradic̄tio.* *) *Id est, non facies actiones aliis parum gratas, quamvis JUS id faciendi habeas.* ‡) *Facies res aliis parum gratas, si ad id faciendum OBLIGERIS.*
Adde tamen etiam observationem §. ultimi. hujus capit. s.

§. LXXII.

Interim non diffitendum est: non plane inutilem esse comparationem tr̄ium harum classium præceptorum juris Naturæ. Regulæ justi coërcent malum summum, quia facta, quæ iis prohibentur, per se causæ bellorum & odii extremi sunt ex natura communi humani generis. Regulæ decori coërcent malum medium, quia facta, quæ iis præcipiuntur, si negligantur, non producunt per se odium extremum & bellum, sed saltem sunt causæ cessantis amoris, quæ cessatio parum quidem differt ab initio odii, sed tamen nondum est odium extremum. Regulæ honesti coërcent malum infimum, quia omissione earum actionum, quæ ibi præcipiuntur, aut etiam his contrariæ cupiditates non nocent alii homini, si modo reprimantur; ne in actiones exteriores erumpant; sed iis non obstancibus promovetur utilitas publica, si quis vel invitus ob me-

tum

tum faciat, quæ communitati prosunt. Unde & hoc intuitu
ea non tam graviter nocent, quam actiones regulis decori &
justi contrariae,

§. LXXIII.

Contra regulæ justi promovent bonum infimum, quia
parum juvat, nullo habere inimicos, si non sint & amici. Re-
gulæ decori promovent bonum medium, quia ostendunt, quo-
modo parandi sint amici. Sed hoc tamen bonum nondum est
summum. Nam quid juvat habere amicos, si inimicus sum-
mus intra cor nostrum lateat; Ergo regulæ honesti procurant
bonum summum, quia monstrant, quomodo fons omnis stul-
titiae sit mutandus in fontem sapientiae.

§. LXXIV.

Cum vero ab insipientia homines per gradus perveniant
ad sapientiam, & stulti pariter & sapientes gradus suos habeant,
hinc patet & demonstratur, quod jam supra*) quasi obiter no-
tatum fuit, homines injustos esse extreme stultos, adeoque
simul indecoros & inhonestos, (etsi decorum & honestum si-
mulent: nam & justum simulare norunt;) homines indecoros
esse in medio stultitiae gradu, si modo non injusti sint; non ta-
men capaces esse honestatis, neque etiam frequenter affecta-
re eam; homines clam inhonestos, palam non indecoros nec
injustos, esse infimos stultos.

*) Supra cap. 4. §. 74. seq.

§. LXXV.

Contra homo justus & non decorus vel honestus inter sa-
pientes infimus est: homo decore vivens & juste, sed non ho-
nestus, est sapiens medius: honeste vivens, id est, dominus
passionum suarum, est sapiens maximus, quia non potest non
simul & juste vivere & decore.

§. LXXVI.

Sed hæc rara avis in terris. Ergo necesse est, ut medio
contenti simus in defectu melioris. Non mirandum itaque,
quod sapientes habeantur, qui decore vivunt, stulti, qui in-
juste

juste, medii inter stultos & sapientes qui juste, quamvis parum decore.

§. LXXVII.

Interim non subsistendum in gradu medio. †) Semper tendendum plus ultra. Summum sapientiæ culmen habet iterum infinitos gradus: et si igitur non possis ad cacumen pervenire, poteris tamen attenta diligentia ex medio genere sapientum quotidie te altius elevare.

†) *Conf. supra §. 54.*

§. LXXVIII.

Quamvis autem tendendum sit ad summa, incipiendum tamen est ab infimis. Neque enim ulla emendatio per saltum fit, quin & ipsa stultitia non nisi gradatim augmenta sumit. *) Unica & optima methodi regula est, a facilioribus pergendum ad difficiliora. Faciliores vero sunt regulæ justi, quam regulæ honesti; regulæ decori inter utrasque sunt mediæ.

*) *Hanc cautelam negligunt, qui putant, prescriptis communibus vivendi regulis posse statim emendari stultos.*

§. LXXIX.

Regulæ justi magis sunt necessariæ, quia sine iis genus humanum interiret, & stulti non possent duci in viam sapientiæ. Regulæ honesti magis sunt præstantes & nobiles, quia homines ducunt ad summum felicitatis gradum, & quia sine iis nemo vere sapiens esse potest. Regulæ decori non sunt ignobiles, & tamen non necessariæ, sed præstantiores regulis justi, non vero ita necessariæ, nec sic præstantes, ut regulæ honesti.

§. LXXX.

Cum igitur omnes propositiones comparativæ majorem attentionem requirant, & bona media diversis respectibus modo bonorum, modo malorum faciem accipient; inde etiam sequitur, ut regulæ justi & honesti paucioribus limitationibus & declarationibus sint obnoxiae, quam regulæ decori. Inde non miraberis, quod supra †) iisdem quandoque addiderimus, quantum ratio & prudentia admittit, ut scilicet ostenderemus, in doctrina decori non posse dari regulas ita absolu-

te universales, ut in regulis justi & honesti. Et adeo dicta limitatio etiam in aliis regulis (^{t) decori}) subintelligenda est, *) ubi non est addita.

^{t)} *Supra* §. 59. 61.

^{*)} *Scil. in* §. 56. 57. 58. 60.

CAPUT VII.

DE

NORMÆ APPLICATIONE.

S U M M A R I A.

Frustra est omnis norma, nisi applicetur. 1. *Normam monilem posse applicari.* 2. *In applicanda norma monili concurrere operam ipsorum stultorum;* majorem tamen esse operam sapientum. 3. *Opera stultorum obsequium.* 4. *Hujus differentia ab obedientia & coactione.* 5. *Obsequii correlatum, sapientis autoritas.* Hec est opinio de alterius potentia & virtute. 6. *Virtus sine potentia, potentia sine virtute.* Vis sine jure; Jus sine viribus. 7. *Autoritas paratur actionibus sapientibus.* Sapiens potest maxime nocere, sed vult maxime prodeesse. 8. *Auxilium sapientis triplex:* Exemplum, præmium, pæna. 9. *Horum auxiliarum necessaria conjunctio.* 10. *Causa, cur parum proficiatur in quotidiana stultorum emendatione.* 11. *Potissimum tamen auxiliorum bonum exemplum.* 12. *Exempla necessaria in consilio, præmia & pæna in imperio.* 13. *Exempla maxime adjuvantur honesti, præmis decori, pænis justi regule.* 14. *Qui exemplis non preit, ad præmia & pænas est ineptus.* 15. *Præmia & pæna applicanda merentibus.* 16. *Meritum præmii & pæna.* 17. *Meriti definitio.* 18. *Ad id requiruntur actiones voluntarie,* 19. *& ut quis sit autor actionis.* 20. *Declarare, utrum aliquis sit præmio vel pæna dignus,* est imputare, 21. *non tamen hoc exhaerit naturam imputationis,* 22. *quia imputantur etiam promissa, beneficia, damni datio.* 23. *Imputare ex arithmeticâ translatum ad doctrinam moralem.* 24. *Debitor & creditor mom-*

moralis. 25. In imputatione respicitur primario, an quis sit
 causa moralis? 26. 27. Præmia & pœna imputantur etiam iis,
 qui concurrunt ad alienam actionem voluntariam, 28. quatenus
 nempe voluntarie concurrunt. 29. Injusta imputatio præmii &
 pœnae. 30. 31. Sapientem non esse exlegem. Præceptum decori
 de bono exemplo, justi, de suo cuique tribuendo tam in pœnis,
 quam præmiis. 32. Sapiens non debet innocentem punire pro
 nocente, etiam volentem. 33. In imputatione promissorum non so-
 lum respici ad voluntatem promittentis, sed etiam ad aptitudinem
 acceptantis. 34. In promissione metu facta, metum promittentis
 non impedire imputationem. 35. Sed, quod alter non habuerit
 potestatem metum incutiendi. 36. 37. Tum enim imputationes
 utrobique se mutuo tollere. 38. In liberatione a promisso im-
 putationem iterum non fundari in voluntate debitoris, sed an
 creditor suum acceperit. 39. Ergo hic maxime differre imputa-
 tionem liberationis a promisso & a pœna. 40. Remitti tamen
 posse & debitum a creditore, 41. & pœnam ab eo, qui habet
 arbitrium puniendi. 42. Non ita facilem esse remissionem
 præmii. 43. Singularia in imputatione beneficij, 44. item
 in imputatione damni dati. 45. 46. Fontes exceptionum,
 quando actio voluntaria non imputetur, & quando impute-
 tur actio non voluntaria. 47. Remissio reliquorum de impu-
 tatione ad loca debita. 48. Subtilitates inutiles Scholasticorum
 de imputatione & merito. 49. Ad imputationis doctrinam non
 opus esse hypothesi de libertate interna voluntatis. 50. Objectio
 communis adversus nostram doctrinam. 51. Doctrina nostra non
 tolli fundamenta Jurisprudentiae. 52. Confusio necessitatis ab-
 soluta & hypotheticæ. Ad applicationem normæ non requiri li-
 berum arbitrium. 53. Sententiam nostram dissentientibus ab-
 surdam videri, eo, quod statuant saltem unam voluntatem in ho-
 minibus. 54. Non tamen esse absurdam, etiam si una voluntas
 foret, declaratur exemplo bestiarum. 55. Errare dissentientes,
 dum præmia & pœnas considerant tanquam mera munera action-
 um præcedentium, 56. cum tamen utrorumque finis primarius
 respicit ad futurum. 57. Ex hypothesi dissentientium in liber-

tate maxima cessare præmium, & tamen in libertate minima non cessare pænam. 58. Modi sensibiles, quibus singuli homines convinci possint, quod careant libertate arbitrii. 59.

§. I.

Frustra est omnis norma, etiam sapientissima, nisi applicetur stultitiae. At quis applicabit? Ipsi stulti nolunt plerumque, quia nimis stultitiam amant, &, si velint, tot difficultates occurrent, ut moraliter sit impossibile, ut stulti (**soli*) eas apte applicare queant. †) Et sapientes, si velint applicare invitis stultis, hi non emendabuntur, quia ad emendationem nemo adigitur vi inimica.

†) *Unica hac responsione tolli possunt objectiones si non omnes, saltem pleraque, quæ propositæ sunt in der Klausübung der Sitten-Lehre cap. 15. de insufficiencia philosophie moralis in emendandis vitiis.*

§. II.

Sed si non posset applicari norma hominibus, non darentur sapientes. Atqui sapientes & olim fuerunt & jam adhuc sunt.*¹) Dantur apud omnes populos, & in omnibus statibus. Fuere sapientes, Moses, David, Salomon, Solon, Numa Pompilius, Augustus, Socrates, Epictetus &c.

*¹) *Scil. in gradu medio secundum dicta §. 76, cap. preced.*

§. III.

Ergo ita quidem est, stulti non proficiunt absque auxilio sapientum. Sapientes tamen etiam opus habent ope stultorum. Plus tamen hic operatur cura sapientum, quam opera stultorum. Stulti nihil operari possunt absque auxilio sapientum. Sapientes incipiunt operari (* etiam) invitis insipientibus. †) Stulti nunquam boni quid agunt libere, sed semper adacti metu vel spe a sapientibus excitata. Sapientes vero non semper vim adhibent inimicam, sed amant vim amicam*) adhibere, modo id per stultitiam insipientium liceat.

†) *Coercendo nempe actiones injustas legibus penalibus. Dico inci-*

incipiunt, non perficiunt, ne obstant dicta §. 1. in fine, quæ lo-
quuntur de emendatione interna per regulas decori & honesti.

*) Per præmia & exempla, potissimum tamen per hæc.

§. IV.

Opera stultorum in applicanda norma morali obsequium
dicitur. Obsequium est spontanea acquiescentia in volunta-
te alterius, orta ex fiducia erga illum. Itaque & consilio & im-
perio correspondet.

§. V.

Quod si plus ex metu participet acquiescentia illa, quam
ex fiducia, magis obedientia dicitur, & si metus ille illatus sit
ab inimico, coactio appellatur, (* vel concussio.)

§. VI.

Correspondet in sapiente obsequio stulti, autoritas. Est
vero autoritas affectio sapientis, secundum quam stulti opinio-
nem de ipso habent, quod possit & benefacere & nocere, magis
tamen velit prodesse, quam nocere. Breviter: est opinio de
alterius potentia conjuncta cum virtute.

§. VII.

Virtus sine potentia est potentia impotens, *) i. e. nec
nocere valens, nec prodesse, adeoque ens moraliter insipi-
dum. †) Potentia sine virtute est fons omnis mali. Virtus
cum potentia conjuncta fons omnis boni. Eadem est medi-
tatio, si vim & jus compares, quia variant saltem termini, res
est una eademque.

*) Nam virtus & potentia sunt synonyma per dicta cap. 1. §. 1.

†) Unde dicitur: Virtus laudatur & alget. Ut v. g. in
Epiceto.

§. VIII.

Nemini igitur connascitur autoritas, sed paratur aetio-
nibus virtuosis, i. e. sapientibus. Sapiens enim, quam ma-
xime prodesse potest, quia ejus dictata homines reddunt felicissimos.
Potest igitur & maxime nocere (non, quod possit
stultos violenter interficere &c. ejus enim corpori facile resiste-
re possent plura stultorum corpora) sed quod plus possit nocere

A a 3

confi-

consilio, imo quod damnum maximum sit, si auxilia sua deneget insipientibus. Non tamen vult nocere, sed prodesse, quia sapiens, qua talis, paratus est non solum adjuvare stultos, sed & adjuvat invitatos, i. e. eos non statim derelinquit, *) sed omnia tentat, quæ ad emendationem eorum faciunt.

*) Confer etiam dicta §. 3.

§. IX.

Sed cum stultorum varia sint genera, †) varia etiam debent esse genera auxiliorum, *) quæ sapiens præbet insipientibus. Potissimum tria; exempla, præmia, pœnæ. ‡‡)

†) Vide supra cap. 6. §. 74. *) Vide quæ de differentia consilii & imperii dicta sunt cap. 4. §. 74. ‡‡) Pœnæ contra stultos extremos, exempla contra infimos, præmia contra medios. Confer mox §. 14. Posset etiam differentiam horum trium auxiliorum illustrare ex §. præced. Pœna ostendunt, quod sapiens nocere, præmia, quod prodesse possit, exempla quod prodesse & non nocere velit.

§. X.

Hæc tria iterum ita conjuncta sunt, ut, si unum eorum desit, præprimis in multitudine hominum, parum proficiatur in emendatione. Unde habes causam, cur post tam diuturam emendationem stultorum plena sint omnia.

§. XI.

(*Nam) raro imperant & consulunt sapientes. Hæc jam querela Platonica est, quæ inepte ad Sophistas applicatur. †) Raro igitur exemplis præuent imperantes subditis: raro præmiis excitant tardos, raro pœnis justis extremos stultos in ordinem redigunt.

†) Quasi nempe hi sint veri sapientis, qui impetrare deberent.

§. XII.

Sunt tamen variæ considerationes, ubi unum horum auxiliorum magis adhibendum est altero. Exempla ubique utramque faciunt paginam. Si hæc desint, frustra est consilium & imperium, frustaneæ sunt omnes pœnæ & præmia.

§. XIII.

§. XIII.

Exempla tamen sunt consulentium, & hæc ipsis sufficiunt: præmia insuper & pœnæ imperantium. *)

*) Huc pertinet dictum Ulpiani l. i. §. 1. de J. & J. Cujus (*juris*) quis nos merito sacerdotes appellat. Justitiam namque colimus, & boni & æqui notitiam profitemur, æquum ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum METU POENARUM verum etiam PRÆMIORUM quoque EXHORTATIONE efficere cupientes, veram, ni fallor, Philosophiam, non simulatam affectantes. Item Juvenalis *Satyræ* 8.

Respice, quid moneant leges, quid Curia mandet,
PRÆMIA quanta bonos maneant quam FUL-
MINE justo

Et Capito & Tutor ruerint damnante Senatu
Piratæ Cilicum.

Adde Feltmannum in Comment. ad d. l. i. §. 1.

§. XIV.

Exempla maxime operantur in regulis honesti, præmia in regulis decori, pœnæ in regulis justi: Pœnis homines desuscunt insipere, & mali esse desinunt; præmiis sapere & boni esse incipiunt; exemplis perficiuntur,

§. XV.

Si imperans aut docens non præeat exemplo, ipsa etiam præmia & pœnæ languescent, i. e. non rite ab ipso distribuentur.

§. XVI.

Neque enim præmia & pœnæ optatum effectum producent, nisi tribuantur merentibus, & interea, ac facta, quibus applicantur, sit proportio.

§. XVII.

Is vero meretur præmium, qui fecit secundum regulas Sapientum; is meretur pœnam, qui fecit contra.

§. XVIII.

Ergo meritum nihil aliud est, quam relatio actionis humanae

manæ voluntariæ ad præmia & pœnas, *) seu ad res gratas †) & non gratas.

*) *Inde sapiens in proponendis præmiis & pœnis maxime debet operam dare, ut gustum sultorum noscat.* †) *Ad res gratas pertinet etiam meritum mercedis & beneficii seu gratitudinis, quorum utrumque sub voce premii, Belohnung, comprehenditur, unde merces Lohn, beneficium Gnaden-Lohn.*

§. XIX.

Dico voluntariæ. Nam regulariter non meretur præmium & pœnam, qui noluit facere secundum aut contra normam, et si fecerit. *)

*) *V.g. qui volens aliquem interficere ei sequit ulcus, quod credebatur insanabile,*

§. XX.

Ergo ut quis mereatur pœnam & præmium, debet autor esse actionis. †)

§. XXI.

Declarare vero, quod aliquis dignus sit præmio, vel pœna, imputare est. †)

†) *Sed non vice versa, ut statim dicetur.*

§. XXII.

Igitur, ut jam supra *) notavimus, hoc quidem intuitu imputare nihil aliud est, quam aliquem autorem dicere actionis; sed hoc non exhaustit totam naturam imputationis.

*) *Supra cap. i. §. 70. conf. §. 73.*

§. XXIII.

Neque enim imputatio solum fit, ubi de præmiis & pœnis sermo est, verum etiam, ubi agitur de promissio adimplendo vel adimpleto, de restitutione damni dati, item de beneficio præstito. †)

†) *De imputatione præriorum & pœnarum agitur distinctius §. 28. seq. de imputatione promissorum §. 34. seq. de imputatione beneficii §. 44. denique de imputatione damni dati §. 45. seq.*

§. XXIV.

Imputare nativa significatione terminus arithmeticus est, & signi-

& significat in rationes referre, auf Rechnung schreiben. Postea in doctrina morali, cum in rationibus crediti & debiti singula singulis rationibus convenienti loco sint adscribenda, nec confundenda credita cum debitibus, imputare bene translatum est ad præmia, pœnas & reliqua quæ modo recensita sunt, quia & hic ejus, qui imputat, idem officium est, ut suum cuique meritum assignet.

§. XXV.

Nam meritum præmii sapiens instar crediti imputat insipientibus, meritum pœnæ instar debiti. In promissis promittens instar debitoris est: is, cui promittitur, instar creditoris. In beneficio præstans instar creditoris est, qui accepit, instar debitoris; In materia damni, damnum dans debitor, accipiens creditor est.

§. XXVI.

Uti igitur in arithmeticâ imputatione *) non respicitur ad eum, qui pecuniam solverit, vel cujus sint nummi, sed quis jussit solvere: ita in imputatione morali regulariter inspiciatur, non, an aliquis sit causa physica, sed an causa moralis sive mediata, sive immediata, h. e. an aliquid facere voluerit.

*) *Scilicet mercatorum bey Führung und Haltung ihrer Bücher.*

§. XXVII.

Igitur summatim imputare est, aliquem declarare causam moralem, ad quam debeat applicari effectus moralis, & actio, quæ alteri imputatur, regulariter & ordinarie debet esse voluntaria,

§. XXVIII.

Præmia igitur & pœnæ imputantur non solum iis, qui immediate autores actionis voluntariæ sunt, sed & qui voluntate sua voluntatem aliorum vel instigarunt, vel represerunt, aut metum illi incusserunt.

§. XXIX.

Et quamvis modus imputandi varius sit, de quo in capite de pœnis agendum, & modo is, qui immediate egit, modo ii,

B b

qui

qui sive positive, sive negative concurrerunt ad alienam aetionem, gravius puniantur, aut majori præmio afficiantur: id tamen certum est, singulis non aliud imputari, quam voluntatem propriam, secundum quam autores actionis dici possunt.

§. XXX.

Uti igitur sapiens haud dubie contra leges justi peccaret, qui bene merenti pœnam, contra leges peccanti præmium trahueret, ita eadem est, quamvis non tanta injustitia, si nihil merenti attribuat præmium vel pœnam.

§. XXXI.

Quare etiam moraliter certissimum est, peccari contra regulas justitiae evidentissime, i. e. esse continuationem injustitiae modo notatae, si quis pœnam ab innocentे perpeſsam velit imputare nocenti in præmium.

**) Aliud dicendum in imputatione liberationis a promisso. Vide infra §. 39.*

§. XXXII.

Nam nec sapiens est exlex, quia homo est, [†]) nec sapiens in summo gradu existit. Ipsius enim officium in applicacione normæ duo præcepta continet, quorum unum (præbebis bonum exemplum insipientibus) pertinet ad decorum; alterum, (suum, i. e. præmia & pœnas cuique tribues) ad regulas justitiae pertinet.

[†]) *Unde quæ hic docentur, pertinent ad solos homines, nec ex illorum justitia astimanda est justitia divina.*

§. XXXIII.

Quinimo etiam si innocens velit pœnam pro nocente sustinere, & nocens sibi hoc beneficium applicare, adeoque innocentem non fiat injuria, fieret tamen injuria societati, & sapiens turbaret totius naturæ moralis ordinem, si innocentem puniret pro nocente, quia, uti pœna & delictum relata sunt, ita etiam applicatio pœnæ & delinquens relata sunt, quorum unum ab altero homines justi separare nequeunt.

§. XXXIV.

Quod promissa attinet, hic fit initio imputatio ad servanda

da promissa ex natura promissorum, si quis non solum voluntarie promiserit, sed & si ille, cui promittitur, debite se gesserit. Ergo imputatur quidem promissum auctori, i. e. qui voluntarie promisit, sed ad imputationem hic non sufficit, quod promittens voluntarie promiserit, sed & requiritur, ut alter jus acceptandi habuerit. Jus enim ex promisso post acceptationem oritur.

§. XXXV.

Unde patet resolutio quæstionis.*⁴) An promissum metu factum imputari possit? Ex parte promittentis enim metus non potest impedire, quo minus ejus actio voluntaria sit, quia voluntas semper conjuncta est cum spe aut metu. Et imputatur sane actio, quæ a metu pœnæ proficiscitur.

*) Cujus mentio jam supra facta cap. 2. §. 106, & 120.

§. XXXVI.

Ergo in promisso metu facto videndum, an metum incutiens potestatem incutiendi habeat, an minus. Priori casu imputatur promissio, quia metum incutiens habet potestatem acceptandi, v. g. si insipiens promittat, se legibus esse obtemperaturum,

§. XXXVII.

Posteriori non imputatur, quia metum incutiens non habet potestatem acceptandi, utpote qui peccavit contra regulas justi.

§. XXXVIII.

Possit etiam dicere, †) compensari duas imputationes. Promittenti ex metu imputari promissionem, metum incutienti incussionem. Ubi vero mutua compensatio est, ibi una imputatio alteram tollit. Hoc facto nulla remanet imputatio.

†) Sed hac ratiocinatio, quamvis subtilior, tamen non ita plana & perspicua est, ac precedens.

§. XXXIX.

Promisso præstito, præstatio imputatur ad liberationem. Hic vero non consideratur,*⁴) an solutio voluntarie facta fuerit.

Nam etsi alius pro alio invito solverit, imputatur id debitori. †) Quia is, cui promissum est, suum accepit, nec idem bis petere potest.

*) Repete notata §. 31. †) Solvens tamen invito debitore id ei non potest imputare ut beneficium, quia hoc non datur invito.

§. XL.

Ergo imputatio præmii vel pœnæ, & imputatio liberationis a promisso in hoc tertio comparationis maxime differunt.

*) Per dicta §. 31. & 33.

§. XLI.

Rursus tamen convenienter intuitu remissionis. Debitum ex promisso remitti potest a creditore, quia quilibet juri suo renunciare potest. Ergo tunc remissio imputatur debitori ad liberationem.

§. XLII.

Similiter & pœna remitti potest ab eo, qui jus puniendi habet, quatenus societas jus hoc puniendi in eum contulit. Unde fluit jus aggratiandi, quod adeo justitiae non repugnat.

§. XLIII.

Præmii vero remissio etsi videatur nisi eadem ratione, quatenus societas arbitrium præmii contulit in sapientem: intuitu tamen præmium merenti is est diversa ratio, quia intuitu hujus sapiens aliquo modo contra regulas justitiae, certe contra leges decori †) peccat, si ipsi invito præmium meritum deneget.

†) Nam secundum leges decori quilibet de jure suo remittit quidem in alterius favorem, non vero in alterius odium. Vide cap. 6. §. 56. seq.

§. XLIV.

In imputatione beneficii etiam quædam occurunt singularia. Nam uti in beneficii ipsius imputatione intuitu ejus, qui beneficium præsttit, imputatio cessat, si ex metu pœnæ id fecerit, aut si alter, cui id præstatur, acceptare nolit, *) ita eo præstito, cum homo beneficus ex natura decori exspectet præmium

mium gratitudinis, non potest sine lassione decori alter gratitudinem denegare.

*) Vide jam notata ad §. 39.

§. XLV.

In damno dato imputatio fit ad restitutionem damni: Hic vero certum est, fundamentum imputationis non esse præcise voluntariam actionem. Et si enim, qui voluntarie damnum dedit, ei omnino imputatio fiat, fit tamen etiam ei, qui ex negligentia damnum dedit. †)

†) *At qui ex negligentia damnum dat, non dat voluntarie, nisi in culpa lata, quæ est omissione diligentie debite, quatenus nimisrum in diligentiam debitam adhibere noluit; cum, qui voluit antecedens, censeatur etiam voluisse consequens, in tantum, ut etiam homines ab commissam negligentiam latam puniri queant, quamvis plerumque id fiat pena extraordinaria.*

XLVI.

Ergo nec injustum est, imputare damni illationem etiam ei, qui casu damnum dedit, si modo certum sit, eum esse causam vere physicam damni, & damnum passo nihil possit imputari, secundum ea, quæ alibi *) latius disseverimus.

*) *In disputatione de larva legis Aquiliae. Conf. supra cap. 2. §. ult.*

§. XLVII.

Atque hinc patent rationes ejus, quod supra †) asseruimus, quod regulariter quidem imputentur actiones voluntariae, sed quod tamen aliquando actio voluntaria non imputetur, aliquando imputetur etiam actio non voluntaria.

†) *Vide in cap. 2. §. 119. 120. 123. Quæ explicata sunt in hoc capite §. 27. 34. seq. & 46.*

§. XLVIII.

Reliqua, quæ ad ulteriore declaracionem de natura imputationis summatim hic dictorum pertinent, explicabuntur suis locis, ubi de non lassendis aliis, de pactis, de præmiis & penis seorsim agetur.

B b 3

§. XLIX.

S. XLIX.

Scholasticorum vero subtilitates †) de imputationē ex lege & ex arbitrio, ex gratia & debito, de merito de congruo & condigno, uti plane non pertinent ad jus naturæ, sed ad aliam doctrinam, *) ita philosophia eas ignorat, nec intelligit, ††) aut certe veritates quasdam ibi latentes magis perspicuis verbis proponere potest.

†) *Respicio hoc loco ad tradita a Dn. Buddeo in philos. pract. Parte 2. cap. 2. §. 15. 16. 17. p. 232. seq.* Actualis imputatio vel ex lege fit vel ex arbitrio ejus, cuius interest, eam factam aut non factam fuisse. Prior vel ex gratia fit, vel ex debito: Illa effectum actionis a tertio patratæ in aliquem transfert, & adeo tantum in favorabilibus locum habet: hæc causam imputationis respicit, & vel effectum secum trahit, unde efficax, vel eo destituitur, unde nuda dicitur. Si plurium interfit, actionem factam aut non factam fuisse, uno non imputante, ceterorum juri nihil decedit. Imputatio, quæ fit ex alterius arbitrio, producit meritum. Est enim meritum sumpta voce in significatu specialiori, relatio actionis, quam in gratiam alterius suscepimus, ad rem, quam sive ex conventione, sive ex lege æquitatis, ab altero expectemus. Actio, cui hæc relatio inhæret, meritoria dicitur. Requiritur ergo ad meritum 1) ut actio agenti imputari possit: hoc est, ut in agente adsit propositum alteri sua actione aliquid boni conferendi: in recipiente voluntas expressa aut præsumta illud admittendi: 2) ut actio non sit debita, qua perfectam, qua imperfectam obligationem saltem ut applicatio ad certos homines in nostro posita sit arbitrio, 3) ut inter actionem, & rem, quam meremur, sit proportio quædam: 4) ut, aut ex conventione, aut lege quadam, alter ad compensandam actionem teneatur: si prius sit, meritum de congruo: si posterius, de condigno, appellatur. Repetuntur eadem in secunda editione d. part. 2. cap. 2. §. 30. 31. 32. p. 218. seq. nisi quod versiculus ultimus prioris editionis: (Si prius

prius fit, meritum de congruo, sin posterius, de condigno appellatur.) hic nescio qua de causa sit omissus. *) Scilicet ad Systemata Theologiae Scholasticae. Unde Studiosi juris sibi merito gntulantur, quod a masticatione istorum carduorum sint immunes, & serio optant, ut idem beneficium mox etiam studiosis Theologiae contingat. ††) V. g. quenam sit differentia genuina inter imputationem ex lege & ex arbitrio: quomodo imputatio ex gratia possit dici species imputationis ex lege, quomodo item perspicue differant imputatio ex debito nuda, ab efficacie, cur meritum non oriatur etiam ex imputatione ex lege? cur termini barbare & obscurissime significantes de congruo & de condigno non fuerint mutati in terminos evidentes & perspicuos, cur meritum pœnae in §. mox seq. 19. & §. 34. novæ editionis sine causa, vel non nisi ex stulta causa vocetur demeritum &c.

§. L.

Vides adeo, †) totam imputationis doctrinam sensibiliter proponi posse sine doctrina de libertate intrinseca voluntatis. Unde facile jam responderi potest objectioni, quam dissentientes formare possunt vel solent contra doctrinam de voluntate necessario agente, & de voluntatis coactione.

†) Confer supra cap. I. §. 68. 69. 70.

§. LI.

Quid enim, ajunt, si voluntas non habet libertatem, nullum est meritum, si nullum meritum, nulla imputatio, si nulla imputatio, nulla lex, nulla iustitia, si nulla lex, nulla iustitia, nulla quoque Philosophia moralis, nullum jus naturæ, nulla jurisprudentia.

§. LII.

Conclusionis absurditatem eo ipso ipsimet agnoscimus, dum tentamus institutiones juris naturæ & gentium tanquam fundamentum totius Jurisprudentiæ, sed negamus id ex doctrina nostra sequi, & absurditatem illationis perspicue ostendemus.

§. LIII.

Deduximus meritum & imputationem ex principiis,*) quæ

quæ ostenderunt, voluntatem non gaudere libertate sc. illa interna. Confundunt dissentientes absolutam necessitatem cum necessitate ex hypothesi. Norma requirit, ut normatum possit secundum & contra normam facere; at vero propterea non requiritur libertas interna, nam & bestiæ haud dubie libero arbitrio carentes & normam & doctrinam recipiunt. †)

*) *Vide cap. 1. §. 68. seq. & hic §. 17. seq. §. 24. seq.* †) *Dico recipiunt, ut si v. g. canis vel equus in variis artibus erudiantur. Etsi supra cap. 4. §. 1. & 2, dixerim, bestia non habere opus norma.*

§. LIV.

Forte argumentum dissentientium aliquid valeret, si una esset voluntas hominis, quæ adeo norma vel lege non posset flecti; at nos ostendimus, homines singulos vel tres voluntates habere, quarum una alteram deprimere & adjuvare capax est.

LV.

(* *Forte etiam non.*) Imo, ubi indubie unum idemque agendi principium est absque ulla libertate, ibi imputatio, norma, pœna, præmium applicari potest. Ita bestias iterum punimus, si quid indecorum fecerint; præmium ipsis damus, si quid decore fecerint. Imputamus & meruisse dicimus, si ipsæ sint causæ actionis, v. g. si sordibus maculaverint pavimentum, non imputamus, & non meruisse dicimus, si aliter facere non potuerunt, v. g. si eas quis hypocasto per diuturnum tempus incluserit &c. & tamen omnes facemur, bestias carere libertate, eas agere ex necessitate & impulsu naturæ.

§. LVI.

Falluntur dissentientes, dum putant, quod præmia & pœnæ, quæ haud dubie propter facta præterita, tanquam occasionem præmii vel pœnæ fiunt, fiant propter facta præterita tanquam causam, ad quam primario in præmio & pœna resipiatur, quæ adeo tota quanta quanta sint remuneratoria, ut sit in

in beneficiis. At beneficia non remuneramur, nisi libere nobis sint exhibita.

§. LVII.

Ut enim taceam, & beneficia saltem supponere libertatem extrinsecam, debuissent considerare, finem præriorum & pœnarum humanarum *) primario esse futurum, non præteritum. Præriorum, ut excitetur imposterum pigritia hominum ad bonum; pœnarum, ut imposterum suppressatur libido ad malum prona. Hinc pœna proprie medicinalis est. At in medicina non supponitur libertas hominis ægrotantis.

*) *Ut adeo nobis non obſlet dogma Theologie Scholastica de pœnis æternis. Cum enim ſentient, harum finem non eſſe poſſe emanationem futuram, inde finem dixerunt eſſe expiationem præteriorum malorum. Adde dicenda infra ad lib. 3. cap. 7. §. 4.*

§. LVIII.

Si libertas interna agendi eſſet cauſa primaria præmii vel pœnæ, ſequeretur, quod auēta libertas reſiſtendi vitiis majori præmio digna ſit, diuīnuta libertas minori pœna. At omnes fatemur, diuersum fieri debere. †) Nam homo, habitualiter vitiosus, eti secundum doctrinam communem, tanquam ſervus vitiū, dicatur minimam libertatem habere, non tamen mitius punitur, & homo habitualiter virtuosus non majus accipit præmium, ſed dicitur, quod amplius præmio non habeat opus.

†) *Die Kinder kriegen nur anfangs, wenn sie leſen lernen, Zucker oder Rosinen.*

§. LIX.

Quodſi homo communi errore imbutus ſentiat hæc omnia vera eſſe, aut fateatur, ſe neſcire, quid contra dicat, & tamen persuadere aſſenſum ſibi non poſſit, ideo quod putet, experientia propria ſe convictum eſſe, quod habeat libertatem reſiſtendi quibuscumque cupiditatibus, ne erumpant in actiones externas, ei sapiens facile formatione variorum caſuum ſecundum diuerſitatem temperamenti oſtendet palpabiliter & ſenſibiliter, quod ſeipſum deceperit, conſuſdendo actiones a-

Cc

passio-

passione infima profectas cum actionibus passionis dominantis, adeoque vires passionis dominantis habuisse pro libertate, vel certe in actionibus, ubi putat se habere libertatem objectas difficultates rumpentem, quod spem præmii extrinseci consequendi vel metum mali extrinseci habuerit pro libertate interna.

**ANNOTATA
EMENDANTIA**
AD
LIBRUM II.
INSTIT. JURISPR. DIVINÆ.
CAPUT I.
DE
**OFFICIIS HOMINIS ERGA
DEUM.**

§. I.

Traetatio hæc debet ultimum locum in institutionibus Juris naturæ occupare ; quia (1) est res cognitu difficillima, & (2) presupponit magnum gradum sapientiæ & in docente & in discente. Hinc (3) diximus, Jus Naturæ obligare etiam superstitiones & Atheos.* Hinc ergo (4) initia Instit. Jur. Nat. & Gent. debent esse apta ad captum horum.

*) Lib. i. cap. 6. §. 2.

2. Non inepta adeo methodus Hobbesii, secundum quam †) in secundis curis emendatio fieri, ut in Libro (2) agatur

agatur de Libertate, in (3) de imperio, *) in (4) de Religione. Forte inter tertium & quartum interseretur quintus de meo & tuo, seu de proprietate rerum & communione. ††)

†) Scilicet secundum methodum, non secundum principia Hobbesi.

*) Etsi enim secundum historiam Sacram de ortu generis humani ab uno communi parente prior sit conceptus imperii ob paternam societatem, quam libertatis, quae presupponit multiplicationem plurium hominum emancipatorum, cum contra secundum figuratum Hobbesi in gratiam, vel ad captum gentilium, quasi term ab initio plures etiam homines produxerit in statu naturali existentes, libertatis conceptus prior sit conceptu imperii; alio tam respectu salvati potest haec methodus citra respectum ad Hobbesum, quia nimur in doctrina vel controversia Juris Naturae & Gentium primario supponimus homines adultos a patria potestate liberatos. ††) Forte commodiorem locum inventum inter secundum & tertium, vel statim ante secundum.

3. Sed illud addendum: Caput de religione requirit auditores selectos, *) reliqua capita sunt ad captum omnium.

*) Ulti in Arithmeticis lectiones Algebraicae.

4. Tractandæ vero sunt doctrinæ de dogmatibus Sapientum de D E O, collatis cum opinionibus stultorum: †) De necessitate cultus externi intuitu stultorum: *) de necessaria directione sapientum ††) intuitu hujus cultus; de sapiente temperamento sapientis ita accommodandi se in prescribendis ceremoniis cultus externi ad captum stultorum, ut nec athei scandalum **) capiant, nec superstitionis in superstitione crescant. †††)

†) Conclusiones formando ex iis, quæ jam supra lib. 1. cap. 2. §. 32. 35. 36. 36. & cap. 3. §. 27. summatim dicta sunt. *) Imo

& sapientum, ut exemplo suo stultos excitent. ††) Nam stultus stultum seducit ad superstitionem vel Atheismum, certe non aptus est, ut ab uiroque hoc vitio reducat ad sanam religionem

**) Capiunt vero scandalum, si ceremoniæ involvant superstitionem crassiorem & palpabilem. †††) Crescunt vero, si ceremoniæ augeantur & multiplicentur.

5. Exponenda ibi erunt fundamenta totius juris Principum circa sacra, *) & cautelæ, quibus præcavendum, ne Princeps subigatur a Doctoribus vel Sacerdotibus, item consilia, quibus eundum in medio, si Princeps mutare quid velit in cultu externo, ne tyrannidem agat in conscientias, †) & ne nimis indulgens sit intuitu eorum, qui sub prætextu conscientiæ sus turbas movent in republica. **)

*) Addendus tamen etiam est discursus de officio principis circa sacra, quod communiter cum jure principis confundunt, qui de hoc scripserunt. †) Optimum erit, si libertatem det utendi ceremoniis, quas abrogare intendit, vel non utendi. **) Ut olim quidam ex Anabaptistis.

6. Ostendendi sunt fructus hujus prudentiæ, & quod sine ejus regulis, ex dictamine rectæ rationis sensibiliter ubique demonstratis, Princeps vel facile injuriam faciat sacerdotibus, eosque nimis supprimat, adeoque per reformationem suam promoteat Atheismum; vel incidat in servitium aliud Doctorum, mutato saltem antiquo nomine. †)

†) Ita Papismus reverentib[us] aliud est, quam dominatus in Magistrorum Politicum, sub specie pietatis. Erit igitur revera eadem res, ubi talis dominatus adhuc vigeret, et si nomine Lutheranismi vel alio veniat.

7. Ostendenda fusius convenientia & differentia Imperii, Sacerdotii, Doctrinæ, *) & horum inter se necessaria amicitia & connexio, conjuncta tamen cum dependentia necessaria Sacerdotii & doctrinæ ab Imperio. †)

*) Sacerdotes proprie sunt, qui ceremoniis cultus externi sunt praefecti, Doctores qui docent articulos fidei, quamvis haec duplicita munia plerumque sint conjuncta, & adeo vel Doctorum vel Sacerdotum nomen pro utraque functione soleant usurpari. Unde & supra lib. I. cap. 4. §. 79. seqq. omissa sacerdotis mentione solum officia principum & Doctorum inter se comparavi, †) Secundum principia d. c. 4. §. 77. seqq. proposita.

8. Agendum de injustitia bellorum erga populos alios, ob solam religionem & reformationem, nisi DEUS specialiter id manda-

mandaverit, *) & tradendæ regulæ, secernendi mendacia falsiorum & Enthusiastarum de jussu Dei, a veris Prophetis, in quantum recta ratio hæc dijudicandi capax est.

*) Ulti populi Cananei ex speciali mandato Dei debebant extingui ob violatas regulas honestatis & decori. Levit. c. 18.

9. Ergo detegenda erunt ad minimum arcana Pseudo-prophetarum, redigendo eorum artificia in breves & perspicuas ac palpabiles regulas. †)

†) Ex principiis lib. 1. cap. 3. §. 73. 74. quod stulti eruditæ, divites & potentes sint majores stulti reliquis, item cap. 4. §. 4. 45. 46. 47. 49. scilicet quanam sint criteria Stoicismi & fucatae pietatis; quod potentes & eruditæ saepe se non applicent ad capacitatem stultorum, sed sola autoritate nitantur ratione destituta &c. Adde: Falsi Prophetæ etiam saepe laborant melancholia vel morbo simili. Hi non puniendi ut delinquentes, sed mitius tractandi.

*.10. Agendum etiam de justitia & injustitia fœderum cum infidelibus v. g. cum Turca, cum & de his absurdæ doctrine hacenus ubique regnaverint. De qua questione pauca quedam tetigi in notis ad Monzamb. c. 7. §. 6. p. 573.

11. Agendum etiam erit de justitia & injustitia belli ci-vilis ob religionem, tam intuitu Magistratus, novam religionem (* per vim) introducere volentis, quam intuitu subditorum defendantium veterem. †)

†) Contra tolerantiam novæ; vel etiam defendantium novam, contra Magistratum novam tolerare nolentem. Huc spectant consilia variantia Theologorum Lutheranorum Electori Saxonie olim tempori Caroli V. data, ut ex Scriptoribus historiae Lutheranismi patet. Nec illa observatio prætereunda, quod saepe ex parte magistratus & subditorum utrobique religio sit saltem prætextus & pallium tyrannidis vel rebellionis.

12. Ostendendum, ad quos pertineat decisio quæstionum haram, an ad Clerum, an ad Laicos, an ad Theologos, an ad JCtos, an ad utrosque. *)

*) Suo modo ad utrosque, ad Theologos potissimum consilia, ad

*J*Ctos preterea etiam decisiones. Ergo principaliter ad *J*Ctos, ob principia lib. I. cap. 4. §. 79. seq.

13. Agendum de actionibus in civitate, & accusationibus ob religionem, an & quousque hæ sint indulgenda.

14. Agendum de justitia & injustitia inquisitionum ob religionem. †)

†) *Ubi de inquisitionibus Hispanicis, de blasphemia, de crimine heretico secundum dictum eorum, que de his materiis & de reliquis Papismi in doctrinis circa eas hodiernum preceptis, differunt passim in notis ad Lancelotti lib. 4. Institut. Jur. Canon.*

15. Sed non omnes sunt idonei auditores *) hujus doctrinæ. Ea vere arcanum Regium est. †) Unde ea non proponenda, nisi adultis, dono silentii prædictis, qui clara documenta edunt, quod in via sapientiae aliquos progressus fecerint, quique non ad scholam, sed ad regimen destinati sunt. **)

*) Per §. 3. †) *Respicio ad notum tractatum Wincleri inter consilia de reunienda religione, sub hoc titulo ante aliquot annos publicatum.* **) *Ne scilicet reliqui hac doctrina abutantur aut eam ulterius propagando non adhibita circumspectione debita irritent dissentientes. Quod tamen non ita est intelligendum, ac si hæc doctrina incipientibus plane sit occultanda, sed ut saltem horum intuitu abstinendum sit a conclusionibus multis nimis odiosis, et si veris, crabrones irritantibus non emendantibus. Unde novioribus temporibus tentavi historiam controversie inter regnum & sacerdotium tanquam atrium hujus arcanae disciplinæ expōnere, cautelas generales in istis controversiis observandas propōnere, & usum earundem in vulgaribus doctrinis refutandis, [verbis tamen ubique magis in factum tempenatis] ostendere in notis ad Huberum de jure civitatis. Atque nunc etiam, dum hæc scribo, secundum hanc methodum in lectionibus publicis per hanc cestatem expono thema utilissimum de jure principis circa sacras.*

16. Ut ergo ipsimet hoc ipso declaramus propriam imprudentiam, quod hactenus †) multas veritates, ad hanc disciplinam pertinentes, incaute propalaverim : *) ita palpandum est ex aliis exemplis infinitis, quam imprudenter agant, qui confi-

consilia, etiam alias non imprudentia, ad causas religionum pertinentia; publicis typis mandant. ††)

†) *Scilicet in dissertationibus de jure principis circa adiaphorum, de crimine hæreseos &c. in lectionibus publicis de triplicibus vindictis juris Principum Evangelicorum in causis Ecclesiasticis anno 1701. Germanico idiomate a Johanne Gottfrido Zeidlero editis, & similibus.* *) *Quod tamen secundum limitationem modo ad §. præcedentem propositam est intelligendum.* ††) *Uti factum in variis scriptis de reunienda religione utraque protestantium pro & contra editis. Confer ea, quæ dixi de prudentia consularia cap. ult. §. 36. & 37.*

17. Agendum vero hac occasione erit de justitia & injuria, decoro & indecoro *) sermonum & disputationum de DEO & rebus divinis, & de media via sapientis inter Pharisæismum & Sadducæismum. †)

*) *Confer Einleitung zur Sitten-Lehre c. 3. §. 25.*

†) *De cuius utriusque turbis in republica Judaica late egit Iosephus in historia Judaica.*

18. Interim prægustus cujusdam loco hujus studii cupido poterit esse Puffendorffii discursus de habitu religionis ad remp. de quo libro & huic affini ejusdem opere posthumo dictum.

19. Quæ in Inst. Jurisprud. divinæ hoc capite a me dicta sunt, repetita fuerunt curis secundis in *Introductione ad Ethicam.* *) Confer &, quæ hic †) notavi infra p. 372. seq.

*) *Dicit. cap. 3. §. 32. seq.* †) *Id est in Inst. Jurisprud. Divin.*

20. Quamvis autem quoad sententiam ipsam, quam defendi hoc capite, nihil mutem; facile tamen patet jam ex hypothesi nostra, felicius rem expediri posse, si ostenderim cultum DEI externum non quidem pertinere ad regulas justi naturalis, sed tamen ad regulas honesti & decori, *) item ad doctrinam de officio sapientis ex dictamine rectæ rationis demonstrabili. †)

*) *Aigue hoc mode jam in der Einleitung zur Sitten-Lehre*

red. c. 3. §. 45. doctrinam meam declaravi, quamvis terminos honesti & decori ibi non usurpaverim. †) Confer, quæ jam notavi supra ad §. 4.

21. Forte etiam, hac doctrina sic exposita, non ita irritabuntur dissentientes, cum hic confitea, cultum externum ejusque præceptum pertinere ad jus naturæ late dictum, non pertinere ad stricte dictum, adeoque simul viam monstravem conciliandi sententias oppositas.

22. In §. 27. temperanda est universalitas locutionis. Deus enim corda hominum respicit & intentionem, adeoque cultum rationalem non simpliciter damnat, sed hypocriticum. *) Adde omnino, quæ dicta sunt in der dreyfachen Rettung des Evangelischen Fürsten-Rechts. P. 1. §. 36. & P. 3. ad §. 22. seq. p. 159. seqq.

*) Unde Deus ipse non improbavit cultum rationalem regis Ninive. Eadem dicenda sunt de Festis nostrorum principum, pænitentiæ publicæ & gratiarum actioni destinatis.

23. §. 28. jam mallem omittere integrum, tanquam ad ipsum jus naturæ non pertinentem. Neque etiam tum cum attentione & absque præjudicio legeram Spencerum.

24. In §. 40. verba finalia ita emenda: Pertinet enim hæc deducatio partim ad Dominos Theologos, partim ad caput aliquod peculiare libri tertii de officio Principis circa religionem, vel etiam ad librum juris Naturæ plane peculiarem.

25. In §. ultimo legendum; tanquam a Jurisprudentia naturali stricte dicta alieno.

AD CAP. II, DE OFFICIO HOMINIS CIRCA SE IPSUM,

Q

Uod hoc caput attinet, priores §§. 65. plane immutandi erunt.

§. I.

2. Nam

2. Nam (1) (*quoad præceptum generale §. 7.) jam supra †) monitum, quod officia hominis erga se ipsum nonnisi per longas ambages deducantur ex socialitate. Propius & magis sensibiliter deducuntur ex principiis honesti. *)

†) *Supra l. i. c. 6. §. 19.* *) *Adde quod conservatio sui contra vim externam sit in strictus naturalis, qui adeo non opus habet, ut inculetur multam ratiocinationem. Vide §. 9. hic.*

3. (2) Præceptorum de cognitione sui ipsius jam in prima parte cap. 1. 2. & 3. satis fuit anticipatum, uti & in partibus duabus Ethices. †)

†) *Reliqua quæ hic proponuntur in Inst. Jur. Div. a §. 33. ad 65, ex fontibus & cum connexione deducuntur in libro de prudentia consultatoria cap. 4. 5. 6. 7. 8.*

4. (4) Quod comparationem bonorum hominis attinet §. 14. seq. ante omnia hic monendum erit, quod idem incommodum oriatur, si nimis subtiliter quæstiones instituantur de prælatione & subordinatione horum bonorum; quod supra *) indicavimus, ubi de subordinatione philavitæ & amicitiæ egimis. †)

*) *Supr lib. 1. cap. 4. §. 39.* †) *Adde quod questiones ille, ob quas comparatio ab aliis solet institui, sint inutiliter curiosæ, videlicet pertinentes ad casus necessitatis. Confer notata hic ad §. 29. Inst. Jur. Div.*

5. Vita insuper non est bonum solius corporis, sed ipsa unio corporis & animæ. Porro, uti sapienti opera danda, ut sit mens sana in corpore sano, ita magis dispiciendum de conjunctione bonorum corporis & animi, quam de eorum oppositione.

6. Diximus etiam, *) voluntatem & intellectum debere conjungi, non opponi.

*) *Supr lib. 1. cap. 1. §. 34. ad 37.*

7. Interim cum voluntatis corruptio †) sit fons omnis stultiæ tam intuitu intellectus, quam bonorum corporis, & adeo ex emendatione voluntatis oriatur sapientia recte utens

Dd

& intel-

& intellectu & bonis corporis, facile patet, omnia præcepta hic concentrari debere in cura sapiente voluntatis.

†) *Nam affectus pravi maxime nocent etiam corpori, & singuli producunt peculiares morbos.*

8. Circa quæstiones, quæ tractantur §. 67. & seqq. ante omnia separanda ea, quæ pertinent ad caput de religione, quod jam cap. præced. remisimus ad librum peculiarem, ab iis, quæ decidenda sunt ex natura libertatis imperii.

9. His præmissis, constat, defensionem sui, †) abstrahendo a præceptis religionis, non pertinere ad obligationem, sed ad classem jurium, quæ homini competit antecedenter ad omne paetum humanum. *)

†) *Quoad questionem tertiam §. 85. *) Id est jurium connaturorum, Vid. lib. 1. cap. 5. §. 11.*

10. Hoc vero supposito, patet, quod †) contra regulas justi non peccet, qui defendit se & sua adversus vim injustam aliorum.

†) *Quoad questionem secundam §. 80. seq. quartam §. 95. seq. & quintam §. 110. *) Quia jure suo uititur.*

11. Cum vero præcepta decori suadeant, secundum regulas prudentiae hominem sibi debere inclinare ad remissionem juris sui, repetenda hic sunt ea, quæ parte I. †) de prudenter & limitationibus regularum decori asseruimus.

†) *Lib. 1. cap. 6. §. ult.*

12. Unde jam perspicua erunt, quæ hic differo §. 67. 68. 69. *)

*) *De probabili occasione brevitatis vita, de probabili mortis periculo.*

13. Quæ vero de autochiria sequuntur †) §. 70--79. non erunt difficultia intellectu, *) si modo separes iterum præcepta religionis a reliquis, ††) & in his statum libertatis & imperii. **)

†) *Autochir, qui sibi pro lubitu vitam adimit, et si non directo peccet contra regulas justi, tamen per indirectum etiam contra has, directo contra regulas decori & regulas honesti peccat.* *Quamvis*

vis nemo pro lubitu vitam sibi adimat, sed autochires communiter sint usū recte rationis privati, & vel furiosi, vel desperati, vel in summa necessitate positi, ut adeo & hoc intuitu ratiocinium de v̄tiositate ipsius autochiriae ipsis nihil pro sit. Dicta illustrari possunt per exempla autochiriae Simsonis, Saulis & Raziæ in libris Maccabœorum l. 2. c. 14. Adde notas variorum ad Lancelottum lib. 2. tit 24. §. 9. p. not. seq. *) Hic respicio ad ea, quæ ibi dixeram §. 70. quod de autochiria sit gravior inspectio. ††) Sed vide tamen hujus limitationis explicationem in Inst. f. D. §. 78. in notis. **) Nam sub imperio possunt leges scribi contra autochires. Quamvis principi prudenti sit openi danda, ut cognoscatur rationem statutis in legibus pœnib[us] contra autochires occultatam; Unde inquirendum, annon in pœna juris Canonic[i] contra autochires lateat occultata hereditatio, & ut eo fortius inculcetur laicis, neminem debere mori sine præsentia clerici vel monachi. Unde non rare sunt imagines, in quibus Christus depictus videtur, cum deducitur ad mortem crucis, medius inter duos monachos, dæ ihm einter eitt Crucifix vorhålt.

14. In §. 81. usque ad §. 94. †) omnia ex dictis sunt facilia, nisi quod §. 83. remittendus sit ad librum de religione, & quod §. 94. loco verborum: obligatum *) hunc arbitror, uel se &c. legendum jam sit: jure suo usurum hunc arbitror, si se &c. ac postea verba: aggressus vero &c. usque ad finem si sint expungenda.

†) De propulsione violentie violentia. *) Questio, an præcepta sit defensio sui, plane nullum habet usum, nec intuitu aggressi: is enim non habet spatum deliberandi & meditandi doctrinas morales; neque intuitu judicis, quia is, qui se patitur absque resistentia interfici a latrone apud nullum populum legitur condemnatus esse pœna in alios autochires statuta

15. Etiam ea, quæ sequuntur de moderatione inculpatæ tutelæ a §. 95. ad §. 122. nullam jam habebunt difficultatem, si modo §. 101. item §. 115. 116. expunxeris, tanquam pertinentes ad lumen revelationis. †)

†) Interim non recedo a sententia ibi exposita.

16. Addenda vero erunt quædam in secundis curis de remissione juris sui ex regulis decori & patientiæ. *)

*) Potissimum circa §. 118. ubi agitur de metu alapæ & falsi testimonii.

17. Porro, quæ in §. 122. annotata sunt de pœnis legum civilium homicidio casuali impositis, illustrant ea, quæ in Part. I. cap. ult. notavimus de imputatione extraordinaria actionis non voluntariæ. †)

†) Non tamen omittendum, quod ipse Pufendorfius lib. 2. cap. 5. §. 15. jam adnotaverit forte pœnam sine paclione fuisse adhibitam.

18. Summa eorum, quæ de exceptione legum in casu necessitatis §. 123. usque ad §. 167. dissero, eo redeunt: Leges (* tam naturales, quam positivas) tam divinas, quam humanas, tam affirmativas, quam negativas habere tacitam exceptionem necessitatis, nisi medium evadendi suppeditetur a malitia humana contumeliam Dei intende.

19. Quoad ipsam regulam ejusque explicationem hic nihil monendum. At quæ demonstrationem exceptionis attinent, & quæ exempla ex sacris literis allata sunt, ea partim remittenda sunt ad Dominos Theologos, partim sequestranda ad librum peculiarem de religione. †)

†) Ergo hic quidem (id est abstrahendo a preceptis religionis & rem ex mero jure naturæ actiones hominum ad alios homines comparante) sequestrat à exceptione manet regula: omnes leges habere tacitam exceptionem necessitatis.

*. 20. In §. 136. adjungenda sequens observatio. Sic docemus unanimiter. Sed an & idem dicemus, si nobiles nostri jubeant, etiam citra necessitatem, ut rustici laborent die Sabbathi? Ita aliter docemus, aliter vivimus.

*. 21. Sequentem notam adde ad §. 141. Erasmus in *iχθυο-Οαγια* p. m. 458. in utroque exemplo §. 138. & 141. adducto mecum sentit. Conf. p. 472. seq. ubi questio præsens ulterius illustratur.

22. Quæ restant a §. 168. ad finem, fluunt sua sponte ex præcedentibus. Addendum tamen erit ad §. 169. casum de furto in casu necessitatis non esse quidem absolute impossibilem

Item sed tamen non facile dabilem: adeoque quæstionem hanc magis esse curiosam & subtilem, quam utilem.

23. Quæ momorantur in §. 173. de æquitate Legis Rhodiarum &c. magis perspicua fient, si distinguas inter regulas justi & decori.

AD CAP. III.

DE

CUSTODIENDA ÆQUALITATE.

I.

AQualitas, de qua hic agitur, ostendit connexionem inter præcepta justi & decori, ita ut præcepta negativa pertineant ad præcepta justi, præcepta affirmativa autem ad præcepta decori.

2. Etsi enim decorum etiam supponat inæqualitatem hominum, id tamen intelligendum est de decoro non naturali, sed politico, seu positivo & arbitrario.

3. Illud etiam monendum: solum præceptum de officiis humanitatis esse revera affirmativum, & ad præcepta decori pertinere.

4. Nam præceptum de servandis promissis magis negativum est, eum sensum habens, ut alterum non lædam intuitu juris per pactum quæsiti.

5. Cum vero sic tria evadant præcepta negativa, posses ea sic distinguere, ut præceptum de non violanda fide respiciat utrumque, & ne mihi plus, & ne alii minus tribuam.

6. Vel ita: Non debeo alterum lædere in juribus suis. Hæc vero habet vel circa pactum mecum initum, vel ex pacto meo. Priora vel sunt ejus existimatio & fama ac honor, quo pertinet præceptum de vitanda superbia: vel ejus reliqua bona, quo pertinet præceptum speciale de non lædendis aliis. *Conf. infr. in Institut. J. D. cap. 5. §. 5. seq. item §. 12.*

D d 3

7. Quæ

7. Quæ differuntur §. 3.-10. possunt tanquam subtilia & parum utilia, quæque in specie respiciunt doctrinam Pufendorffii plane omitti. Debet etiam expungi §. 18. tanquam ad Jus Naturæ non pertinens.

*. 8. In §. 26. pro verbis jus perfectum, pone obligationem externam, & pro imperfecte, scribe interne.

AD CAP. IV. DE VITANDA SUPERBIA.

I.

IN hoc capite omnia sunt facilia, si modo præcepta honesti secernas a præceptis decori & justi.

2. Nam superbia infimi gradus repugnat præceptis honesti : de qua agitur §. 6.

3. Superbia media, de qua agitur §. 7. repugnat regulis decori.

4. Superbia summa cum contemtu aliorum conjuncta, de qua agitur §. 10. & sequentibus, repugnat regulis justi.

5. In §. 13. addendum, si quis alteri exprobret návos politicos, ut si quis v. g. sartorem appellat einen Ziegenbock, aut pellionem einen Käzenkopff.

6. In notis ad §. 17. lit. n. addendum exemplum Hispanorum, qui inter causas justificas bellorum contra Indos posuere, quod Indi sint servi natura.

7. In notis ad §. 18. lit. n. addendum, quod sapiens secerneat humilitatem veram a fucata. Humilitas fucata †) est, quando homines sub prætextu humilitatis affectant laudem sanctitatis eximiæ, eaque pertinet ad superbiam mediæ, quæ repugnat regulis decori, imo suo modo ad superbiam summam, quatenus ejusmodi hypocritæ alios, qui ipsorum sputa non lingunt, habent vel verbo vel facto pro hominibus nequam,

†) Per-

†) Pertinet etiam ad exemplum humilitatis fucata titulus servi servorum a Papa inventus, cum tamen velit esse dominus dominantium. Uno verbo, omnes hic spectant, qui sub specie humilitatis affectant imperium.

8. §us ultimus expungendus est, quatenus mentionem facit liberi arbitrii, quod Parte I. per rationes fortissimas e doctrina morali ejecimus. Substituendum adeo: *Per hanc efficietur, ut nos nemini preferamus, reputantes, ceteris aequo contingere posse, ut voluntas eorum spe præmii excitetur ad actiones virtuosas, & reprimatur metu damni ab actionibus vitiiosis, ac nobis idem contigit absque nostro merito.*

AD CAP. V. DE NON LÆDENDIS ALIIS &c.

1.

Jungenda cum hoc Capite est disputatio de Larva Legis Aquilia detracta actioni Germanorum de damno dato, habita Anno 1703. mense Aprili.

*. 2. In §. 3. legendum: etiam ex obligatione DECORI.

In §. 4. legendum, pro denegatione juris ex regulis JUSTI.

*. 3. Significatus §. 5. 6. 7. non sunt concipiendi ut species homonymæ sed univocæ sub genere §. 4. comprehensa. Unde in §. 5. expunge vocem tantum, in §. 6. & 7. vocem saltem.

*) 4. Melius etiam esset, si hic plane omittatur differentia hujus tituli ab actione Legis Aquiliae in §. 13. ut quæ magis pertinet ad explicationem juris Romani.

5. Pertinet hoc caput primario ad regulas justi: quod tamen in §. 33. dicitur de venia concedenda, pertinet ad regulas decori.

6. Similiter ea, quæ §. 34. de culpa docentur, fluunt ex legibus justitiæ etiam inter eos, qui in statu libertatis vivunt. Nam quilibet sentit, pacem generis humani non posse subsistere, si damnum dans sub prætextu, quod non voluntarie egredit,

gerit, posset se eximere a restitutione damni, cum palpabile sit, iniquissimum esse, ut dominus rei debeat sentire damnum, cuius causa etiam physica fuit alius. Et hæc itaque est ratio, cur parte I. c. ult. §. 47. dixerimus, aliquando imputari irregulariter actiones non voluntarias.

*. 7. In §. 35. & 37. addendum monitum, quod illa distinctio culparum in contractibus, quam jus Romanum tradit, exiguum habeat usum, partim in theoria, partim in praxi per dicta peculiari disputatione, habita anno 1705. Unde forte melius esset, ut §. 35. & 36. expungantur. Præprimis cum ibi ostenderim doctrinam juris Romani de deposito non posse deduci ex jure Gentium, & etiam ideo a Germanis non fuisse observatam.

8. Porro in Disputatione de Larva Legis Aquiliæ ostendi, quod etiam positis certis circumstantiis teneatur aliquando casu damnum dans ad restitutionem damni.

9. Quæ igitur hic annotata sunt §. 39. intelligenda sunt de regulis justi, si talis sit casus, qualem formavimus in dicta Disputatione; de regulis decori, si talis fuerit, quales ibidem denotavimus, in quibus de jure non teneatur damnum physique dans ad restitutionem. †)

†) Magis clara erit observatio præsens, si ita dicas: Quæ igitur hic annotata sunt §. 39. jam mutanda sunt, & pro liberalitati scribendum erit, justitia, sive Iesus sit pauper, sive dives.

10. Cum vero idem fundamentum sit, si alterius animal vel servus mihi damnum dederit, quod est, si alter ipse per culpam levissimam aut casu mihi damnum dederit, hinc jam mallem corrigendo §. ult. asserere, quod actiones Romanorum noxales, & si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, *) orientur ex ipsis regulis justitiae, & teneant etiam in statu libertatis, & non igitur ex sola æquitate de præstandis officiis humanitatis, ut quæ pertinent, ut statim dicemus, primario ad regulas decori. †)

*) Scilicet quatenus utrobique petitur restitutio damni dati.

†) Et coactionem excludit. Præterea notum est, quod ex fundamen-

damento, si non eodem, verte simili, principes postulare soleant deditio nem subditorum alienorum ab eorum dominis, si damnum ipsis dederint, aut injuria affecerint. Exemplum Regis Sueciae deditio nem Comitis Austriae ante aliquot annos, in casu simili ab Imperatore impetrantis, adhuc in multorum memoria est: quamvis id etiam in Rege Sueciae valde commendandum sit, quod deditio ne hac non rigide sed generose usus fuerit.

AD CAPUT VI.

DE

PROMISCUIIS OFFICIIS
HUMANITATIS.

*. I.

Loco dictorum §. 1. 2. 3. officium hoc melius deducetur ex principiis decori lib. 1. explicatis.

2. Deinde expungi possunt §. 4. & §. ob ea, quæ notavimus ad cap. 3. n. 7.

3. Item §. 11. 12. 13. 14. ob dicta in capite proemiali.

4. Porro, cum in Parte prima rejacerim distinctionem obligationis in imperfectam & perfectam, ea, quæ §. 16. usque ad §. 20. de obligatione imperfecta monentur, commodius intelligentur, si dicas, ad officia humanitatis homines non obligari ex regulis justi, sed honesti & decori, adeoque non posse cogi ad ea. *)

*) Aut si loco obligationis imperfectæ semper substituas obligationem internam.

5. Exceptio, quam trado §. 21. 22. non magnum habet usum, per ea, quæ notavi ad cap. 2. n. 20.

6. De statu civili, quæ dicuntur §. 23. seq. sic intelligenda sunt, ut ubi sit mentio obligationis perfectæ, subintelligendum sit, tum obligationem ad officia humanitatis deducendam ex regulis justi. †)

†) Quod tamen non ita crude & absolute est intelligendum. Nam & hoc

Ee

& hoc casu ad imperantium officium pertinet, officia humanitatis talia moderate postulare a subditis.

*. 7. In §. 24. in not. lit. g. expungenda est allegatio capitis praecedentis propter ea, que dixi ad cap. preced. §. 10. & loco ejus substituendum exemplum actionum in quibusdam locis concessarum pauperibus adversus fratres vel alios consanguineos, aut exemplum legis Rhodiae ex hujus libri 2. cap. 2. §. 173. juncto num. ult. emendationum ad d. caput.

*. 8. Officia, que indefinite dicuntur præstari §. 27. & 28. melius bic rejiciuntur, & deducuntur ex præceptis honesti, & expungitur adeo nota lit. u.

*. 9. Dicta §. 29. fluunt ex regulis decori, imo suo modo etiam ex regulis justi. Quoad §. 30. docendum aus der Einl. zur Sittenl. cap. 5. §. 21. seq. vulgarem humanitatem deberi omnibus hominibus, beneficia amicis, aut quos amicos facere cupimus.

10. In §. 31. in fine addendum, quod qui officia humanitatis denegat alteri, habeatur pro insigniter malo & inhumano, (*id est, pro in honesto & indecoro) non tamen pro injusto. Ita enim facilius intelligetur conclusio, de qua tractatur in §. 33.

11. Circa §. 48. supplendæ sunt in secundis curis regulæ de præstandis beneficiis ex introductione ad Ethicam c. 6. n. 52. seq.

*) 1.) Beneficia præstanda dignis & quos noveris, 2.) non inimicis, 3.) utilia alteri, & 4.) ei placentia, 5.) non invitis, 6.) non cum gaudio indigentie, 7.) prompte, 8.) sine premio.

12. Porro quæ §. 49. seqq. traduntur de gratitudine & ingratitude, rursus perspicue intelligentur, si distinctionem inter præcepta justi & decori applies, quod scilicet gratitudo beatum non ex præceptis justi, sed decori, & quod adeo ingratitude simplex peccet tantum contra regulas decori, prægnans vero insuper contra regulas justi.

*. 13. Dicta §. 51. illustrabuntur, si consideres, injustitiam non ita facile in omnium sensus incurtere, præprimis si sit effectus ambitionis, at ingratitude rem sepe fructum voluptatis & avaritiae, vitiorum turpissimorum & maxime exosorum.

*. 14. Di-

*). 14. *Dicta §. 56. sic emenda: Simpliciter dicendum, non concedendam esse. Cum leges illæ declamatorum sint factæ. Et sic non opus est §. 57. & 58.*

15. Quoniam autem præceptum de officiis humanitatis primario ad regulas decori pertinet, & aliud præceptum, quod eo referri possit, non adest; conveniens erit, ut in secundis curis hoc loco omnia ea præcepta distinctius proponantur, quæ Parte prima c. 6. §. 56, seq. ad regulas decori summatis relata sunt,

AD CAP. VII. DE OFFICIO PACISCENTIUM.

I.

QUæ hic docentur in §. 1. quod præceptum, de fide data servanda, sit secundum præceptorum affirmativorum, mutanda sunt secundum ea, quæ jam notavimus ad cap. 3. n. 4.

2. *Dicta §. 2. melius intelligentur, si dicas, paectorum originem non deberi regulis justi, sed decori. †)*

†) *Et in specie indigentie. Indigit enim unus alterius re, unde ex regulis decori impelluntur mutuo vel etiam unus seorsim ut juri suo in gratiam alterius renuncient.*

3. Ad §. 3. declarationem *) vero id paucis addendum: Cum in paectis intendatur translatio & acquisitio juris, peccat contra regulas justitiae, qui laedit alterum, fidem datam non servando. *Conf. c. 5. §. 4.*

*) *In eodem §. 3. loco obligationis perfectæ & imperfectæ pone internam & externam.*

*. 4. *In promissione imperfecta, de qua §. 10. peccatur quandoque contra regulas decori, si non servetur. In nuda assertione ne quidem contra has.*

5. Nudæ assertioñis in §. II. exempla †) sunt, vel ubi rem nimis generalem & indefinitam promitto, vel ubi nimis inde-

E e 2

fini-

finitum tempus est , ubi acceptatio deficit , ut quando v. g. declaramus in scriptis , quod velimus hoc vel illud scriptum edere &c.

¶ E.g. Ich will dir was vermachten, ich will dich bes fördern, ich will dir einmahl 100. Thlr. schencken, du sollst einmahl eine von meinen Töchtern haben. Pertinet hoc etiam verba honoris , promissiones incertæ & rei incertæ . Et quidem quod promissionem incertam attinet, non putaveram haltenus circa eam tot difficultates occurrere , quot postea reperi , unde nata peculiaris disputatio de obligatione ex promissione rei incerta habita anno 1715. quæ commentarii loco esse poterit ad hunc locum. *) Huc pertinet etiam disposi- tiones testamentarie. Ceterum & ista observatio in hoc capite non negligenda. Supponunt *promissa* & *contractus* omnes, preprimis quæ ad jus privatum pertinent, dominium, plurimi etiam rerum pretia. Nam, iis mediantibus, vel intendimus con servare dominium rerum nostrarum (ut v.g. in mandato & de posito) vel dominium acquirere, aut in alium transferre (ut in emtione , donatione , mutuo , permutatione) vel de dominio no stro testari , & quod nobis competit potestas de repro lubitu di sponendi, (ut in commodato , locato &c.) vel certe satisfactio nem ob promissum non servatum acquisitione rei equivalentis , ut in promissis omnibus factorum pecunia estimabilium. Quod si facta non sint talia, frustranea etiam est actio, frustraneum jus ex ejusmodi conventionibus acquisitum.

6. Hinc ergo pendet demonstratio palliatæ ambitionis, quando Autores in Præfationibus scriptorum suorum dicunt, se ideo scripta edere, ut fidem datam liberent.

7. Hinc dependet deductio moralitatis de votis & polli citationibus in statu libertatis. Nam quæ communiter ea de re traduntur partim a Theologis, partim a Jctis, multa mi scens distinguenda, v.g. jus Mosaicum vel etiam Civile Ro manum cum jure Naturali, interesse Cleri aut superstitionis, vel etiam tyrannidis , cum interesse Dei , veræ religionis, vel etiam utilitatis publicæ. ¶

¶ Ad

†) *Addit disputationem meam de desertione ordinis ecclesiastici habitam anno 1707. in qua §. 5. proposui doctrinam Canonistarum, quod vota non possint violari sine crimine; §. 11. (juncto §. 32.) vero ostendi magnum arcanum politicum sub illa doctrina Canonistarum latere, quod praecepta de votis legis Mosaicæ, quæ solum Israelitas respiciebant, ad statum Christianismi applicaverint, tum §. 17. & 18. monstravi, doctrinam nostrorum Theologorum & JČtorum in capite de votis multos errores Canonistarum repetuisse.*

8. Quanquam convenientius sit, integrum doctrinam de votis reservare libro ultimo de religione.

9. Doctrina vero de pollicitationibus omnium optime potest defendi ex dictis §. 14. *)

*) *Addit tamen l. i. §. 1. ff. de pollicit.*

*. 10. *Ad §. 31. addendum, quod ideo etiam in pandectis alii JČti obligationem ex lege vocent obligationem ex re.*

*. 11. *At §. 33. plane est expungendus. Verius enim est, distinctionem inter consensum tacitum & presumptum præcipue pertinere ad explicationem juris Romani. Quæ enim hic quoad usum ejusdem in jurisprudentia divina allegantur, plane alio modo ex ratione naturali resolvi possunt.*

*. 12. *Etiam in §. 37. mutanda quædam. Cum enim lib. 1. ostensum fuerit, actionem invitam dici saltem ex parte voluntatis, item voluntatem non esse sine cogitatione, melius erit, si dicas: Voluntati utriusque opponitur error, dolus, violentia, motus vero non opponitur voluntati, sed ex alio fundamento impedit effectum obligationis.*

*. 13. *In §. 43. post verba eoque nomine, adde, sed causa tamen in mente retenta.*

*. 14. *Quoad dicta §. 50. nota, quod Gerhardus Noodt in tract. de dolo perspicue ostenderit, distinctionem doli in incidentem & causam dantem, ne quidem in jure Romano fundatam esse. Item quod Canonistæ citra rationem invenerint distinctionem inter errorem & dolum circa essentialia & accidentalia conjugii. Vide notas ad Lancel. - p. 849. seq. Conf. supr. §. 38. in fine (in Inst. J. D.)*

15. Quæ de obligatione ex promisso , cui metus injustus causam dedit §. 60. seqq. prolixius differuntur , ea jam paucisimis positionibus anticipavit us lib. 1. c. 7. n. 35. seqq.

16. In secundis curis ea , quæ de pactis cum bello viëtis §. 69. dicuntur, ulterius declaranda & limitanda sunt , ex variis circumstantiis hic concurrentibus. Quid si enim paciscens hostis in carceribus detineatur? quid si promittat ea, quæ non sunt in ipsius potestate? &c. quæ omnia ventilata sunt in pacto Caroli V. cum Francisco I. Rege Galliarum.

*. 17. Paragraphus 72. est expungendus. Nam explicaciones & limitationes adjunctæ sic comparatae sunt, ut nullus casus ad illustrandam regulam hic traditam super sit.

18. In nota x. ad §. 81. sic legendum: Æque enim stultus esset, qui putaret, alterum posse volare , ac ille, qui id serio promitteret. †)

†) Per dicta §. 79. Unde revera Xanthi promissio stulta fuit, quia seria, & hoc intuitu Ullenspigelius prudentior fuit Xantho.

19. Paragraphus 88. est expungendus. Etsi enim cessent rationes paragraphi 87. obstant tamen rationes alia facile colligendæ ex dictis superiori. Aut enim quid dedi alteri turpiter accipienti in salutem tertii , tum vide §. 58. & ibi notata lit. u. aut in meam salutem, tum vide §. 54. & 67.

20. Expungendus etiam est §. 96. & remittendus ad librum de religione. Præprimis cum pena in casu apud Philip-pum in Usu practico Instit. sit valde dura , & sapiat principia Pontificiæ religionis de sacramento matrimonii.

21. In §. 98. expunge terminos juris perfecti & imperfetti, quia lib. 1. dictum , omne jus esse perfectum , & quia etiam in promissione in diem & sub conditione jus perfectum acquiro , ad id valitum , ut alter pendente die vel conditione me invito non possit recedere a promisso. Ergo dic simpliciter , quod promissum purum ex natura promissionis statim peti possit ; promissum in diem demum die existente; sub conditione, existente illa conditione.

22. Conditiones, de quibus agitur in §. 102. & 103. sunt quidem veræ conditiones Logicæ, sed non morales vel Juridicæ.

*. 23. Ad §. 112. pertinet exemplum Protagoræ & Evathli.

AD CAP. VIII.

DE

OFFICIO HOMINIS CIRCA
SERMONEM,

§. I.

Connexio (de qua §. 12.) omnium facillima hæc est: Hactenus habuimus axiomata primaria Juris Naturæ, Jam sequuntur conclusiones seu applicationes præceptorum ad quæstiones speciales de officiis hominum, etiam in statu libertatis, circa sermonem & alia signa animi (ob §. 20.) ac rerum dominia. Accessorium sermonis est juramentum, dominii pretium rerum.

*. 2. Ad §. 7. nota quod sermo solis hominibus competit, non tam quoad socialitatem, cum ea careant bestiæ, etiam quæ quotidie inter se conversantur & in uno loco vivunt, (¶ pacifice quidem ac sine bello,) sed potissimum propter diversas singulorum hominum mores & infinite inde variantia eorum desideria.

3. Paragraphus nonus remittendus ad Theologos.

4. Præceptum generale §. 10. fluit tam ex præceptis decori, quam justi.

5. Occasione dictorum §. 17. seq. in secundis curis distinctior comparatio instituenda sermonis cum facti signis, & tandem, an certis regulis includi possit, quando facta prævaleant verbis, quando verba factis. †) Vide interim disputationem nostram de protestatione facto contraria. (* habita anno 1699.)

†) Sunt enim facta quadam plenius significantia de animo nostro, quam verba, ¶ ubi verba, facto contraria, habentur pro similiis. Contra tamen in multis negotiis verba prævalent factis, ita, ut regulariter ex verbis constet expresse de voluntate nostra, ad singulato facta

facta producant saltem conjecturam de voluntate tacita. Unde in hoc posteriore casu regula esse solet: Quoties constat de voluntate expressa, toties frusta queritur de tacita. Hec igitur quomodo conciliabimus? Vide an sic dicere possis: Sermo est nobilis signum factis in rebus speculativis, facta verbis prævalent in rebus practicis. An ita? Verba sunt signa potiora intellectus, facta voluntatis. An forte ita? Facta sunt fortiora signa verbis in negotiis affectuum, maxime vitiosorum, in reliquis negotiis etiam ad voluntatem pertinenibus verba prævalent factis, in primis si facta sint dubia significationis.

6. Quæ §. 20. *) (de origine sermonis) ex sacris literis sunt allata, item notæ lit. y. remittenda ad Theologos. *)

*) Questio de ultima origine sermonis curiosa magis est quam necessaria, cum supra lib. i. cap. 6. §. 14. seq. ostensum fuerit, in hac disciplina ne quidem necessariam esse scientiam de origine generis humani.

*. 7. Ad §. 22. & 23. nota, sermonem accuratius loquendo oriri non ex conventione expressa, sed ex impositione & imitatione. Eadem est ratio terminorum artificialium.

8. Præcepta §. 29. & 32. jam brevius ita efferenda. Tace, (loquere,) quoties per taciturnitatem (loquelam) tam aliorum commoda promovere potes, & quoties loquendo (tacendo) alterius jura lacererentur. Prior pars præceptorum horum est conclusio ex regulis decori, posterior ex regulis justi. †)

†) Non omissendum præceptum de sermone deducendum ex regulis honestatis, quod coercet jactantiam & scurrilitatem. Conf. ea, que mox dicuntur n. 10.

9. Questio paragraphi 33. remittenda ad librum de religione.

10. Præceptum de usu sermonis §. 35. sequentibus in secundis curis distinctius exponendum, partim ex regulis justi, potissimum in contractibus, partim ex regulis decori. Dicendum hic erit non solum de potestate imponendi vocibus significatum, & conceptui vocem, sed de variis sermonis vitiis, aut affectionibus, scurrilitate, joco, obscuritate, logomachiis, meteorologia &c. *)

*) Me-

*) Meteoræ orationis sunt dictæ in speciem sublimia sed inania. Vide omnino Samuelis Werenselii dissert. de logomachiis eruditorum & meteoris orationis. Amstel. 1702. Spectat etiam huc loquendi novitas, & ejus affectatio. Habent & Galli peculiares terminos ad hunc paragraphum pertinentes: parler gras, Phæbas, galimatias &c. ubi Phæbus significat fere, uti meteoris orationis.

11. Præcepta §. 39. 40. sic efferenda: Veradic, (falsiloquio utere,) quoties id postulant regulæ decori & justi, i. e. quoties alterius commodum non promoveretur, aut jus lädetur, si aliter faceres.

12. Sic vero expungenda sunt ea, quæ in §. 41. de jure imperfecto immiscentur; (* item verba: id vero fit &c.) & in §. 43. loco: licet & hoc casu, scribendum tenemur hoc casu.

13. Ostendendum etiam in secundis curis ad §. 46. 47. distinctius; paucissimos homines aptos esse, ut possint ferre veritatem, & erga stultos teneri sapientem ex regulis decori non saltem veritatem occultare, sed saxe falsiloquio, simulatione, dissimulatione &c. uti. (* Exempla vide §. 77.)

14. Quæ §. 52. seq. ad §. 57. dicuntur de veritate homiletica & justitiaria, possunt omitti, tanquam pertinencia saltem ad expositionem terminorum technicorum Aristotelicis propriorum. Quamvis forte non male veritatem justitiariam ab homiletica secernere possis per distinctionem inter præcepta justi & decori, (* vel honesti.)

15. Quod vero doctrina de moralitate falsiloquii (* de qua egi §. 60. seqq.) communiter fuerit in academiis aliter proposita, adscribendum autoritati patrum, & ni fallor Augustini, qui haec tenus in academiis plus regnarunt, quam ratio vel ipsa scriptura. †)

†) Interim in fine §. 60. ubi dico, falsiloquium esse aliquando indifferens, addo, quandoque etiam præceptum.

*. 16. In §. 62. addo in fine: Differunt etiam, falsiloquio uti, & falsum dicere.

17. Quæ vero differui contra Pufendorffium in quæstione de confessione delictorum, §. 85. seq. jam plane mutanda sunt.

18. Nam regulæ honesti ejusmodi obligationem confitendi delicta occulte patrata, non possunt producere, cum hæc respiciant saltem quietem hominis internam, & non pertineant ad officia hominum erga alios.

19. Regulas decori quod attinet, ex regulariter habent exceptionem necessitatis. At necessitas illa intelligitur, quæ est conjuncta cum certo vitæ periculo.

20. Ergo restant regulæ justi. Hic vero ante omnia observandum, quod hæc quæstio respiciat jus puniendi, adeoque plane non pertineat ad statum libertatis, de quo tamen in hoc libro secundo tractandum, sed ad statum imperii, adeoque ad librum tertium cap. 7.*) Nam inter eos, qui vivunt in statu libertatis, nulla pœna locum habet, & Grotii bellum punitivum jam satis explosum est a commentatoribus.

*) Vide infra dicenda ad dictum cap. 7. lib. 3. §. 67. seq.

21. Quod si itaque delinquens satisfaciat læsis restitutione dænni, in statu libertatis sufficit.

22. Interim in antecessum ad §. 91. prænotandum, quod delinquens satisfacere possit læsis, & tamen delictum non esse notorium, vel si per modum transactionis id faciat, vel etiam curet restitui læsis satisfactionem de damno dato per amicos occultato ejus nomine.

23. Infra vero suo loco docebitur, posse jus puniendi subsistere fine obligatione delinquentis, aut si maxime juri puniendi debeat correspondere obligatio in delinquentे, eam tamen non inferre obligationem ad confitendum delictum, aut ad pœnam patiendam ; adeoque finem pœnarum posse obtineri sine obligatione tali.

AD CAP. IX.
DE
OFFICIO JURANTUM.

Potissima capita de officio jurantium (scilicet ea, quæ de fine juramenti passim & maxime §. 40. seq. item 85. seq. docentur,) præsupponunt præcepta de religione, ergo tota hæc doctrina ad librum de religione erit differenda. Et pleraque adeo, quæ hic ex S. scriptura immiscentur confirmationis loco vel per modum dubiorum, remittenda erunt ad Theologiam.

2. Itaque in libro de religione fusius agendum de licentia juramentorum, de qua paucis h. l. dictum §. 4. & 5. Uri enim secundum rectam rationem & principia juris Naturæ & Gentium de licentia hac nemo unquam dubitavit, & ipsi dissentientes ad dissensum & torturam †) textuum scripturæ sacræ (haud dubie ob nimiam & irrationabilem licentiam juramentorum) adacti, & ita ab uno extremorum in alterum prolapsi sunt; ita maxime adjuvabit studiosum principiorum naturalium de religione historiam originis illius nimia licentia novisse.

†) Si contextum Matth. V, 33. seq. attentius consideres, patebit, Christum ibi non agere de licentia juramentorum in genere, sed respicere potissimum questionem: an laudabile sit in promissionibus & votis jurare? & hanc questionem negat Salvator. Unde verba: Ihr soll allerdings nicht schweren, expli-canda sunt ex sequentibus: Eure Rede sey ja ja und nein nein, id est, servate promissa & vota etiam non jurata. Confer dictum Pauli II. Corinlh. I. v. 17. seq.

3. Ergo ostendendum erit, apud Judæos ad profanationes nominis divini relatam fuisse temeritatem jurandi, in tantum, ut nec in testimonii dicendis juramenta regulariter exerce-

rint, quod & antiquis Romanis in usu fuisse jam docuimus in dissertatione de fide juridica.

4. Postquam vero principes christiani ad Imperii gubernacula admoti sunt, tum demum illa regula invaluit: non esse credendum testi injurato, ut ibidem est ostensum.

5. Cum vero statim ab illis temporibus clerus Romanus fundamenta jecerit summae potestatis acquirendæ, ostendendum erit, quod inter illa fundamenta etiam illud fuerit, ut sub prætextu fori interni & causarum spiritualium ad se traherent potestatem judicandi de negotiis plerisque civilibus. *)

*) *Inde in regno Lusitanæ est ordinatio prohibens & annullans omnes contractus, in quibus apponitur juramentum ad eorum observantiam, facta in favorem jurisdictionis regiae, ne intuitu clausula juratoria adiectæ conventionibus contrabentes traherentur ad forum ecclesiasticum. Vid. Job. Valerus different. inter utrumque forum sub voce juramentum differ. 9. n. 1. Adde notæ ad Lancel. Inst. Jur. Canon. lib. 3. not. 185. p. 1395. ubi respondi Valero frustra eam ordinationem oppugnanti.*

6. Et cum adeo viderent, in juramentis invocari DEUM ut testem & vindicem, †) adeoque jam prætextum adesse speciosum, causas juramentorum ad spirituales referendi, operam dederunt, ut juramenta adhiberentur in negotiis plerisque tam judicialibus, quam extrajudicialibus.

†) *Hinc docuerunt Canonistæ, juramenta esse speciem cultus divini. Vide disput. de emend. lit. protract. in materia jurament. §. 6. habita anno 1717.*

7. Sed ut magis extenderent fines fori pseudo interni & jurisdictionis ecclesiasticæ, docuerunt contra principia Juris Naturæ & Gentium, ac si clausula juratoria non consideranda sit ut accessorium quippiam, (de quo vide hic §. 14. seqq.) sed ut propositio separata, in qua aliquid promittatur DEO *) conf. hic not. ad §. 31. lit. b.) quod tamen falsum esse, ostendit ipsa formula jurandi & invocatio DEI in testem. Vide hic §. 34. & ibi notata.

*) *Pra-*

*) Præente Augustino. vid. d. not. 185. ad Lancel. p. 1392. - Arca-num politicum hic latens ostendi in dicta disput. §. 7.

8. Hæc hypothesis falsa ita communis facta, ac pro articulo fidei habita fuit, ut non solum Grotius adhuc (*vide modo citatos §§. 31. & 34.*) sed & Pufendorffius (*vide §. 47. & seqq.*) se ex conclusionibus falsis inde pro manantibus non potuerint explicare.

9. Inter quas etiam illa est, quod hoc errore admisso obtinuerint illam & que falsam regulam & a principiis juris Naturæ aperte recedentem. (*vide §. 17.*) quod juramenta, quæ salva salute servari possunt, sint servanda, †) etiam si alias, si citra clausulam juratoriam fuisset, illi actus a legibus civilibus pro infirmis, & qui nullum producerent effectum, fuerint habiti.

†) *Prolixius* falsitatem hujus asserti & peculiare interesse cleri pontificii sub eo latentis detexi dicta nota 185. p. 1391. seq.

10. Quod ergo hæc regula tam diligenter inculcetur in Jure Canonico, aperte factum est ob interesse cleri Romani, quia hoc pacto cleris sibi vindicavit tacite potestatem legislatoriam & judicialem corrigendi leges civiles & sententias judicium secularium.

11. Sed & subfuit interesse pecuniarium cleri Romani, ut illi, qui ecclesiis quid promisissent, & alias exceptionibus minorenitatis, dolii, fraudulentæ persuasionis, & similibus se liberare possent, firmius tenerentur.

12. Ex eadem hypothesi *) & ex eodem interesse fecerunt etiam ex perjurio, quod alias secundum principia Juris Naturæ & legum politicarum sola famæ macula notabatur, crimen ecclesiasticum. †)

*) Ostendi ulterius in dicta disputatione §. 8. 9. 10. Augustino & Canonistis deberi doctrinas sequentes, partim obscuras & ambiguas, partim falsas & aliis doctrinis contradicentes: Non esse jurandum, nisi necessitas id urgeat: Homicidam esse, qui alteri, quem metuit pejeraturum esse, juramentum desert: Turpiter non facere, sed modeste, qui ob religionem jurare notunt. Quæ si expendas

pendas attentius, non multum miraberis, qua ratione fiat, ut doctrina de licentia juramentorum, de qua modo egi §. 2. seq. hodiernum sic corrupta se, cum totus pene mundus eruditus, etiam apud Protestantes, hodiernum adhuc Augustinianus sit, & Juris Canonici sputa lingat. †) Perjurii causam non esse ecclesiasticam; damna ex eo uata, quod soli judici ecclesiastico cognitiones de perjuriis concessa fuerint, quomodo & quibus technis una cum causa perjurii omnes fere civiles cause ad forum ecclesiasticum tractae fuerint, exposui in notis ad Lancelotti lib. 3. not. 18. p. 1261. seq. Quod vero hoc loco asserui, perjurium ex principiis legum politicarum sole famæ macula notandum esse, cum limitatione est intelligendum, quoad pœnam falsorum testimoni, qui etiam intuitu æquitatis naturalis merentur pœnam talionis.

13. Hoc obtento introduxerunt juramenta religionis, *) ut imperium etiam in conscientias Politicorum sibi vindicarent.

*) Juramenta religionis repugnare dictamini rectæ rationis & eripiæ sacrae, latius ostendit Jacobus Schultes peculiari responsu nondum edito, cuius summan exhibui in *Kleinen Versuch von Annalibus (adjectis Melchioris von Osse Testament)* ad ann. 1607. p. 245. seq. De origine & abusu juramentorum religionis vide Arnoldi *Rezex-Historie* Parte 2. p. 208. §. 6. seq. Confer quæ de inventis a Constantino M. formulis precandi notavi Tomo 1. Observ. select. Halens. observ. 24. §. 32. & de formulis fidei sub eodem Tom. 2. observ. 8. §. 68. seq.

14. Ex eodem fundamento deducendum est etiam crimen hæreseos, †) (* item blasphemie)

†) Vide disput. de crimine hæreseos & annotata ad Lancel. lib. 4. annot. 154. & 159. p. 1885. seq. & p. 1980. seq. *) De blasphemia dogmata erronea Canonistarum exposui ad lib. 4. Lancel. nota 250. p. 2006. seq. & in aliis præcedentibus ibidem p. 2009. & 2010. citatis.

15. Quæ diximus n. i. maxime illustrantur ex §. 8. †)
Nam præcepta Juris Naturæ prima & proprie sic dicta, ut su
pra

pra notavimus, debent esse ad captum omnium hominum, quamcunque opinionem de DEO habeant. *)

†) *Quia ibi dixi: doctrinae de juramentis repugnare atheismum.*

*) *Unde in d. §. 8. expungenda sunt verba: est vero omni, ut ex libro I. patet.*

16. Interim quatenus revera clausula juratoria apud omnes Gentes ex natura rei pro accessione vel assertionis, vel promissionis solet haberi; & accessorium sequitur naturam principalis, sua sponte fluit, quod hic, abstrahendo a præceptis religionis, non nova præcepta sint expectanda, sed quod saltem præcepta, quæ in capite 7. & 8. de promissis & assertionibus dedimus, ad juramenta per modum conclusionis sint applicanda, quod etiam observavi in hoc capite §. 17. seq.

17. §. 21. sic emendandus est: Etsi enim ad officia humanitatis obligamur saltem ex regulis decori; tamen & qui contra regulas decori evidenter peccat, ejus actio pro turpi & illicita ex dictamine rectæ rationis seu jure Naturæ est habenda.

18. Etiam emendandus est §. 23. hunc in modum: At etiam in ejusmodi casu puto juramentum non producere novam obligationem, quia certum est, assertionem illam vel quasi promissionem, si absque clausula juratoria fuisse, nullam producere obligationem, partim ob dicta n. 4. 5. 6. ad cap. 7. partim, quia origo ejus supponitur ex affectu iræ irrationali, partim ob dicta in hoc capite §. statim sequente 26. Ita vero etiam expungenda est nota b. ad §. 89.

19. Quæ vero in nota lit. q. sunt adducta, nobis non obstant, quia Christus supponit juramenta obligationem producentia, †) etiamsi temere iis & absque sufficiente ratione clausula juratoria sit addita. Conf. §. 101. & ibi notata lit. n.

†) *Evidenter erit, si legas: quia Christus supponit juramenta assertionibus veritatis & promissionibus adjecta.*

*. 20. *Ad §. 32. notandum, juramenta in altenius animam esse merum inventum juris Canonici.*

21. Expungendus etiam est §. 33 cum nota lit. d. Falsam enim esse rationem in dicto §. datam, docent, quæ diximus modo n. 9. 10. 11.

22. Mu-

22. Mutanda etiam est sententia §. 55. & juramentum Israelitarum ad classem Juramentorum super re illicita referendum ob dicta modo n. 18.

*. 23. In §. 64. nota iterum arcanum clericale, cur ex juramentis facta sint causæ spirituales.

24. Porro quæ diximus §. 67. non deducenda jam amplius sunt ex speciali ratione a persona promittentis vel speciali consuetudine desumpta, sed ex generali, quod omnia promissa, etiam injurata sint jure naturæ servanda.

25. Expungendi sunt ulterius §. 93. 94. 95. quia existentiam legis divinæ positivæ universalis jam alibi destruximus; item 100. 101. 102. tanquam a finibus juris naturæ alieni.

26. Verba initialia §. 96. sic emendanda sunt: Ceterum qui per id jurat, quod DEUM esse non credit, simulat tamen, quod credat, peccat contra ius naturæ, quia alterum vel promittendo, vel asserendo decipere intendit; Similiter qui per DEUM falsum &c.

*. 27. Ad §. 105. observa, quod dissentientes nitantur dictis Augustini relatis can. 5. C. 22. qu. 3. & can. 6. eod. vide disput. supra ad §. 6. citat. §. 9.

AD CAP. X.

DE

OFFICIO CIRCA RES ET EARUM DOMINIUM.

I.

Priores paragraphi 23. ab hoc loco semovendi sunt, quia pertinent ad librum de religione. †)

†) Et quia hic declarare volui, in quo convenientiam cum Pufendorfio. Interim methodus ibi adhibita n. 7. & seq. etiam usurpari potest, si quis abstrahendo a religione de fundamento dominii questionem deducere velit, & dicta §. 15. & 16. sic declaret, Abusum creaturarum in genere esse, si quis utatur creaturis ut instrumentis vel nutrimentis passionum vitiosarum, sive hic peccet

cet contra regulas honesti, sive decori, sive justi. Et hac generali observatione fluunt postea præcepta §. 26. 32. 34. tanquam speciales conclusiones.

2. Præceptum §. 26. est conclusio ex regulis honesti: paragraphi 32. ex regulis partim decori, partim justi; paragraphi 34. ex regulis justi.

*. 3. Definitiones proprietatis & communionis traditæ §. 37. & 40. quamvis apud J. Ctos communiter sint receptæ, sunt tamen valde obscure, præprimis vox substantiae ibi adhibita rem non illustrat. Magis perspicua res erit, si ita dicas, proprietatem originarie consistere in potestate disponendi pro lubitu de usu rei †) cum exclusione aliorum. Unde facile patet, quid sit communio.

†) J. Cti characterem dominii seu proprietatis ponunt in rei vindicatione, haud dubie exemplo ususfructuarii eo adducti, qui proprietatem non habet, et si habeat potestatem utendi omnem cum exclusione aliorum, etiam domini ipsius. Sed quemadmodum in sensu incurrit, si quis rei usum perpetuo in alium transferat, reservata sibi saltem potestate rem vindicandi (verum in usum non suum, sed alterius illius) quod tum ista potestas magis onus & obligatio, quam jus vel commodum sit, ita dubium illud Doctores facile tollere potuissent, si cogitassen, characterem dominii pleni consistere in duobus, in usu rei pro lubitu, tum in potestate excludendi alios ab illo usu. Et ex his duobus criteriis provenire facultatem varios fructus percipiendi ex re frugifera, aut saltem quamcunque commoditatem vel jucunditatem possibilem ex eadem sentiendi, eamque ab alio detentore quo cunque vindicandi, aut estimationem ab eo, qui in ea damnum dederit, repetendi; præterea etiam potestatem eam augendi, minuendi eam abutendi, eam perdendi, corrumpendi, alienandi, b. e. ejus usum omnem & abusum ad alium in perpetuum transferendi, & multo magis absque alienatione ejus utilitatem non absolutam, sed restrictam ad tempus in alium transferendi, aut partes usus quotuscunq; (etiam in perpetuum,) item in utilitatem alterius cessandi à libero usu rei sua, & effectus dominii alios suspendendi &c.

4. §. 54. 55. hic seponendi tanquam pertinentes ad Theologiam vel historiam sacram, vel librum de religione.

5. Similis est ratio digressionis illius prolixæ de origine dominii §. 58. usque ad §. 119. quanquam palpabiliter satis ibi fit ostensum, dubia contra sententiam veram mota esse homini rationis saltem mica pollenti indigna.

6. Quæ uti rursus originem debent superstitionæ pertinaciæ Cleri Pontificii, ineptissimas Scripturæ explicationes pro articulis fidei ad sustentandam autoritatem suam venditantis, *) (conf. §. 115.) ita in Parte I. Ethices fusius ostensum est, communionem non repugnare rectæ rationi, sed potius eidem esse maxime conformem.

*) Et tanquam hæreticos interficiens, qui communionem statuerent. Hanc pertinaciam tamen etiam retinuerunt plerique ex nostris. Vide Philippi Melanchthonis Consilium de interficiendis Annabaptistis, relatum in der Historie der Weisheit und Thorheit Tom. III. p. 28. 42. seq. item Petri Homfeld dissert. Jenæ anno 1674. habitam, in qua pro Strauchio contra Huberum, dominium primævum, primævæ communioni haud ita pridem propugnatæ sed inauspicato probatæ oppositum (refero verba tituli) ex lumine tum gratia, tum natura clare adstruere & ad contraria argumenta respondere voluit.

7. Quanquam si quis in hac quæstione forte scrupulos sibi moveret, tuto a tota hac controversia abstinere possit: Uti enim supra ostendimus, hominem ex natura sua præsenti posse demonstrare præcepta Juris naturæ, sine respectu ad certam hypothesin de origine generis humani: ita similiter possunt præcepta Juris naturæ circa rerum dominium deduci ex dominii natura præsenti, sine certa hypothesi de origine ejus.

8. Interim certum est ex ipsa natura dominii, communionem antiquorem esse dominio, †) eamque necessario præcessisse. Omne enim dominium natura sua a possessione incipit; possessio vero facti est; unde ob fugam infiniti necesse est, ut modus originarius acquirendi dominii inceperit vel ab

ab occupatione, vel a divisione, Utrumque vero horum communionem præsupponit.

†) Imo non, si accuratius loqui velis. Ut enim proprietas sine possessione concipi nequit, ita nec communio propriè dicta. Quare et si retineri possint, quæ hic §. 41. & passim de communione negativa dixi (scilicet in quantum adversarii Pufendorffii eam communionem negativam ineptè oppugnarunt) tamen res magis erit perspicua, si rejectâ voce communionis negativæ retineamus rem ipsam, id est, negationem dominii, seu res esse nullius. Ita enim facilius potest deduci, quod occupatio sit modus acquirendi originarius, tam intuitu rei propriæ, quam communis, & divisio modus naturalis recendendi à communione. Hoc pacto etiam non opus erit amplius distinctione inter communionem (negativam) absolutam & temperatam, quam §. 79. seq. proposui. Præterquam enim, quod illius absolute existentia vix concipi posset per dicta §. 81. in fine, tota res eò iterum reddit, an res omnes, & quamdiu fuerint ac manserint nullius. Hoc modo etiam magis perspicua erit responso ad objectionem §. 92. seq. propositam, quod occupatio tanquam actus physicus non possit producere effectum moralem. Et si enim valde verosimile videatur, quod occupatio unius non possit excludere alios, qui in communione sunt, ab illa communione, tamen objectio statim corrueat, si omisâ voce communionis negativa dicas, rem non fuisse communionem, sed nullius. Imò neque opus est amplius distinguere cum §. 90. & 95. inter occupationem rerum fungibilium ad præsentem consumtionem, & inter eam, que sit cum intentione seponendi ea ad communes usus. Nam & posterior repugnat saltē communioni propriè dictæ, non vero qualitati rerum nullius. Ex natura rerum nullius etiam facilius intelligitur doctrina §. 99. ut adeò ad conventionem ibi memoriam recurrere non sit opus. Neque opus erit amplius in §. 101. seq. ad demonstrandam justitiam occupationis iterum ad pactum recurrere. Cum enim vox communionis etiam in communione negativa quasi tacite involvat jus quasi commune omnium hominum in rebus quibusvis, difficile est illis, qui isto termino utuntur, cogitare, quod communio negativa saltē consistat in jure communi

occupandi res quascunque nondum occupatas. Facilius autem id concipitur, si rejecto termino rerum communium, maneas in conceptu rerum nullius.

*. 9. *Quoad §. 10. notandum, fabulam illam de primæva divisione rerum inter Cainum & Abelem originem debere stultitiae Rabbiorum, vide Eisenmengers entdecktes Judenthum P. I. p. 329. seq.*

10. Præceptum §. 121. deducitur ex regulis decori. Quanquam ne quidem præcepto hic sit opus, cum impossibilitas acquirendi tales res jam satis coercent stultitiam ineptæ cupidinis humanæ. Illud tamen apponendum fuit propter quæstionem de dominio maris, circa quam vide omnino Huberum Disput. 33. fundam. jur. qui & paucis historiam controversiæ refert & Seldeno respondet. *)

*) *Adde omnino Cornelii van Bynkershoek dissertationem de dominio maris, publicatam Hagæ Com. 1603. in 8. qui jura patria defendit nova inventione, et si concedat, mare posse occupari. Nova hypothesis est, jure naturali dominium & possessionem pari passu ambulare, & possessionem animo retentam pertinere ad jus Gentium sive ad jus civile plurimum gentium. Meam de hac doctrina sententiam exposui in notis ad Huber. de jure Civitat. lib. 2. Sect. 4. cap. 2. nota ad n. 43. p. 452. seq.*

11. De testamentis, de quibus agitur §. 162. seq. jam aliter tenendum. Ea enim tantum sunt Juris Civilis, & forte nulli populo fuere usitata, quam Atheniensibus & Romanis. Mors enim extingvit omnia jura. Quomodo ergo possit, abstrahendo a legibus, civilibus incipere valere voluntas viventis eo tempore, ubi nullum jus habet? †)

†) *Pluribus hanc sententiam declaravi peculiari disputatione de origine successionalis testamentariae habita anno 1705.*

12. Alia quæstio est ad Librum Tertium proprie pertinens, & doctrinam de prudentia Legislatoria, an expedit Reipublicæ, *) testamenta introducere? Paucis: expedit avaritiæ Advocatorum & Judicium, expedit Clero Pontificio, cuius præcipuus acquirendi modus fuere testamenta. Utrum jam expedit Reipublicæ, hinc facile poteris dignoscere.

*) *Affir-*

*) Affirmat eam Pufendorffius IV. 10. 6. Latius tractavi hanc questionem dicta dissert. §. 39. seq. ubi præmissa distincta formatione status controversiae §. 42. negavi eam, & §. 46. respondi dissentientium rationibus, §. autem 52. docui veros fontes introductorum testamentorum, non observatos (§. 54. & 55.) à Cicerone & Seneca, neque testamentis semel introductoryis ubique querendos, (§. 57.) imo (§. 59.) testamenti factionem esse reipublicæ noxiā.

13. Et hæc etiam est genuina causa, cur non facile hic modus, ubi semel introductorys est, possit abrogari †): Item cur testamenta Romanorum apud Germanos sint introductorya, cum alias vix millesima pars juris Romani, qua talis, apud Germanos potuerit mores patrios destruere.

†) Unde à negatione questionis, quod non expedit testamenta in rem publicam introducere, non valet consequentia ad assertionem, quod introductorya iterum sint abroganda.

14. Accessit, quod testamentorum confectio inserviat non quidem voluptatis prodigalitati, sed tamen stultæ cupidini gloriæ, invidiæ, vindictæ, item superstitioni hominum ambitiosorum & avarorum.

15. Cum per dicta §. 181. 184. 188. seq. tota successionis ab intestato materia nitatur conjecturis *), facile patet, quod non sit difficile homini ingenio prædicto, in controversiis successiones ab intestato respicientibus invenire rationes non improbabiles pro utraque parte. Unde hic Principibus magis commendandum, ut de forti milite sibi prospiciant, quam de subtili justitiæ deductione.

*) Adde quod in dicta disput. de orig. success. testam §. 13. ostendetur, falsum esse, quod hic §. 179. seq. supponitur, quasi successio ab intestato fundetur in tacita voluntate testatoris. Omnis successio ab intestato à legibus & moribus humanis venit Mero jure naturæ, morte domini, res quæ vivente eo in ejus dominio erant, sunt res nullius, cedentes occupanti. Atque hac de re minus dubii esse possit, si vera foret hypothesis Bynkershækii modo proposita ad n. 10.

*. 16. Etiam doctrina de usucapione & prescriptione in §. 191. seq. proposita meretur distinctiores inquisitiones varias, v. g. de aliorum fundamentis circa præscriptionem juris gentium; (vid. disp. Giessens. de præscript. illustr.) de questione prejudiciali, an locum habeat inter gentes præscriptio? (vide disput. Werlhoffii contra Puteanum & alios Gallos.) De prætensionibus obsoletis & de imprudentia scriptorum tales obsoletas prætensiones proponentium, principibus commendantium, & chartam ac tempus in harum prolixis deductionibus perdentium. Conf. interim, quæ in specimine Jurispr. judic. cap. 7. membr. seq. differunt de prætensionum existentia, definitione, de scriptorum de prætensionibus defectu, †) de horum defectuum emendatione deque hujus emendationis delineatione generali &c.

†) Cave ne defectum Scriptorum de prætensionibus sic intelligas, ac si desint scriptores de prætensionibus. Nam contrarium testatur experientia v. g. Anonymi Autoris **Rechts-Ansprüche hos-her Potentaten und Republiken** 1668. in 12. Giovanni Germania princeps, Sprengeri compendiosa illustrium quarundam prætensionum in Europa deductio, & qui post illud meum Specimen Jurispr. judic. anno 1712. editus est tractatus Schwederi in idiomate Germanico, sub titulo **Theatrum Prætensionum illustrium**. Etsi enim hoc ultimum scriptum majori cum cura ac diligentia confectum fuerit, & insuper Autor subinde majoris judicii testimonia exhibeat, ipse tamen doctissimus Autor non potuit omnino tollere defectus istos precedentium scriptorum à med. l. notatos: videlicet, deficientiam generalium & rationabilium fundamentorum, ex quibus prætensiones illustres dijudicari debant, ineptam earum decisionem ex jure canonico & civili, deficientiam doctrinæ moralis & prudentie civilis in autoribus deductiones prætensionum scribentibus, tædiosam allegationem rerum impertinentium? stultitiam, aut si mavis, insaniam eorum, qui prætensiones obsoletas excogitant, ac principibus commendant, quæ homini, sensu saltem communi prædicto, omni ratione destituta statim apparent, & tamen hoc medio gratiam principum auceptantur, &c. Hos ultimo loco memoratos monendos esse arbitror, ut quotidiè post preces matutinas ex Autore sui nominis & judi-

cii (qui tamen ex nota in vulgus modestia se non nominavit) ejusque tractatu: Vertheydigtes Preussen 1703. edito p. 67. sequentia verba cum attentione legant & ruminentur: Als König Eduardus in Engeland an den König in Frankreich in der bekannten Prætension einen Gesandten schickte, und darinnen dem König zu Gemüthe fürete, daß er ihm sein Recht auf das Königreich vorenthalte, mit dem Ersuchen, ihm solches doch endlich in der Güte abzutreten; so hat ihm der König in Frankreich einen Sack voller Schneller, damit die Kinder spielen, zugeschickt, mit dem Anhange, daß der König in Engeland wohl nichts zu thun haben müste, weil er hinter eine so verlegene Prætension käme, darum er ihm das Præsent schickte die Zeit das mit sicher zu passiren.

17. Ad §. 195. & 201. addendum, quod sententia juris canonici de requisito bona fidei etiam in præscriptione longissimi temporis, et si videatur prima fronte pia, revera tamen turbet tranquillitatem humani generis*), cui valde interest, lites quascunque aliquando finiri, & dominia rerum aliquando esse in certo, repugnet etiam rationibus §. 194. 195. Nam si dominus rem dereliquit, etiam qui ab initio in mala fide fuit, post derelictionem fit dominus.

*) Videatur illustr. Dn. Cocceji dissertatio prior de finibus b. f. in præscript. Jur. Canon.

18. Facile tamen historiæ Ecclesiasticæ gnaro patet, quem usum prætexta hæc pietas attulerit Clero Romano, ut videlicet ejus ope potuerint vindicare omnia bona Ecclesiastica, quo-cunque modo alienata, & per immemoriale tempus etiam possessa, sub specie, quod possessores fuerint in mala fide, ut qui scire debuerint, bona Ecclesiastica non posse alienari.

19. Hanc hypothesin etiam in usus suos adhibuit Rex Galliæ modernus †) in reunionibus suis, supponendo pariter, bona Domanalia non posse alienari, & ita pariter posse-

seffores eorum fuisse in mala fide, ut ita rursus appareat, quantum præjudicium ea doctrina faciat juri Naturæ & Gentium.

†) *Huc pertinent: Traitées touchant les droits du Roi tres chre-
stien sur plusieurs états & Seigneuries possédées par divers Prin-
cipes voisins &c. par Mons. du Puy in Folio. Primaeditio prodiit
Parisis 1655. Altera impressa est à Rouen 1670. Contra hoc Pu-
teani scriptum directa est potissimum disputatio Werlhofii de
prescriptione inter gentes liberas, supra memorata n. 16.*

20. In §. 205. nota g. omissa est ita supplenda: Unde pa-
tet, quo jure occupatio bellica referatur jure Romano inter
modos acquirendi juris Gentium.

*. 21. *Quæ §. 206. seq. de accessione doceo, distinctius à me sunt
exposita in Instit. Juris German. MSC. & anno 1704. in lect. publ. ex-
plicatis lib. i. tit. 7.*

22. *Quod in res fungibles non cadat pretium affectio-
nis secundum §. 222. latius deduxi in peculiari Disputatione,
& ex hoc principio simul ostendi, quam intricatam reddide-
rint Jurisprudentiam JCti Romani eo principio neglecto. Si-
mul vero quæstiones de pictura & scriptura, quarum mentio
hic fit §. 226. exinde definivi.*

AD CAP. XI.

DE OFFICIO CIRCA RERUM PRETIA.

§. I.

PRæceptum primum §. 5. fluit ex regulis decori *), uti
& secundum §. 12. excepto capite, quod vetat dolum
adhiberi, ut quod est conclusio ex regulis justi. Hinc
& in §. 16. loco verborum: *non semper jus perfectum pro-
ducunt, legendum: non semper ex regulis justi deducuntur;* & in
§. 17. loco verborum: *si licentiam externam spectes, dicendum;*
si non

si non spectes regulas decori sed justi. Item in §. 23. legendum; in quantum ipsum obstringunt regulæ decori. †)

*) *Si accurate loqui velis, præceptum §. 5. plane non est præceptum in statu naturali, quia in statu naturali locum habet pretium affectionis per §. 14. id est pretium indeterminatum, & que §. 24. dicuntur de jure Gentium, non coherent cum precedentibus. (nisi jus gentium accipias pro jure civili plurium gentium.) Unde distinctio pretii in commune & affectionis soli juri civili originem debet.* †) *Imo accurate loquendo in emtionibus venditionibus regulae decori & præcepta amicitiae nro inveniunt locum. Handel leidet keine Freundschaft; Man verkauft eine Sache um einen Preis dem Armen so wohl als dem Reichen. Occurrunt forte & alia vel emendanda, vel distinctius proponenda. Ita factum, de quo loquor §. 13. esset quidem indicium stulta superbie, sed tamen exinde non oriretur justa causa belli vel actionis. Ita pretium affectionis ubique hodiene etiam in civitate obtinet, si emtor velit adigere venditorem ad vendendum. Ubi vero alteri res venalis est, & ubi res venalis querit emtorem, ibi necesse est, ut venditor accipiat, quantum emtores dare velint, id est, iterum secundum suam (emtorum) affectionem. Quamvis igitur verum sit, quod dixi §. 38. potissimum momentum in pretiis afferre solere raritatem, tamen exacte loquendo raritas non est immediate fundamentum pretii, sed affectionis nec tamen & ea, si sola sit, sed si conveniat cum hominum passionibus.*

2. *Quæ §. 44. & 45. de pretio affectionis in specie commemoro, latius declarata sunt in dicta disputatione de pretio affectionis in res fungibles non cadente. Pretii affectionis ratio haberi solet etiam in venditionibus aliquando, potissimum inter eruditos, cum venduntur libri eruditorum, reliquiæ sanctorum &c. quamvis forte hoc pretium possit dicere medium quid inter pretium commune & affectionis, aut de utroque participans.*

3. *Dicta §. 49. 50. 51. 52. expungenda sunt, tanquam subtilia, & ex principiis Juris Naturæ & Gentium nullius usus.*

Ostensum enim est peculiari Dissertatione, *) remedium L. 2. Cod. de rescind. vendit. nullum posse habere usum in praxi, quia ejus non potest dari casus, ubi non adsit dolus, (tum eo non opus est;) aut error utriusque, (tunc res definienda est ex regula de errore supra posita.) Unde & in Ordinatione Politica Magdeburgica certo respectu hoc remedium est abrogatum. †)

*) De Æquitate cerebrina l. 2. C. de resc. vend. habitu anno 1706.

†) C. 22. §. 12 Adde quod in pretio communi ubique regnet affectio per modo dicta ad §. 1. & per exempla §. 2.

*. 4. Quæ de prohibita pluris datione dicta sunt §. 56. raro obtinent. Alias sæpe signum prudentie est, plus dare in emione, & minus accipere in venditione. Huc pertinet inscriptio nonneminis. Durch theuren Einkauf und wohlfeilen Verkauff ist dieses Häus gebauet.

AD CAP. XII. DE INTERPRETATIONE,

1.

Hoc Caput plane a Juris Naturæ & Gentium doctrina alienum est, sed pertinet ad philosophiam de usu intellectus seu ad genuinam logicam. Unde & idem resumsi & emendavi jam in Part. II. Logices.

2. Poteris itaque jam secure omittere, vel debito modo mutare *) §. 8. 9. 10. item §. 44. 45. 46. item §. 85. & §. 103. §. 106. ob dicta lit. i. ad §. 9. & lit. x. ad §. 44. Quare nec miraberis, quod in Logica longe pauciores regulas interpretationis recensuerim, quam hic.

*) Scilicet in ipsis paragraphis putavi usum habere distinctionem inter interpretationem declarativam extensivam & restrictivam, sic nempe ut singula interpretationis species peculiaribus gaudent regulis. Sed postea observavi, id falsum esse.

3. Quæ

3. Quæ §. 18. de terminis, quibus Theologi utuntur, dicta sunt, limitationem merentur, in terminis, quod Theologi ex Jurisprudentia mutuati sunt, aut de terminis juridicis, quibus Scriptura utitur, quorum exempla †) dedi in præfatione über die Grund-Lehren §. 9. Huc pertinet tractatus Huberi de fœderibus, testamentis &c.

†) *Nimirum: dominii, pretii, mercedis, gratiae, satisfactionis, satisfactionis, justificationis, pœnae, mediatoris, legis, testamenti, hereditatis, fideiussionis, delegationis, novationis, solutionis, imputationis, rei sancta, sacrae, sanctificationis, consecrationis &c.*

4. Ad §. 125. *) conjungenda sunt ea, quæ supra monimus †) Part. I. c. 6. n. 64. seqq. & ad illa monita intelligenda melius faciunt ea, quæ hic differimus §. 139. seq.

*) *De collisione duarum legum, tali, ut utrique simul satisfieri nequeat.* †) *De collisione præceptorum honesti, justi, decori.*

*. 5. Ex regula §. 136. tradita mallem casum in fine §. 42. de textoribus & vernis legatis pro Titia contra Plotiam definire, et si Pomponius in l. 36. pr. de leg. 1. aliter casum propositum deciderit, veritas & simul textores utriusque ut servos communes adjudicando. Meum sentit Paulus l. 99. §. ult. de leg. 3. in casu non quidem eodem sed tamen plane simili, cum ibi loco textorum curatores positi sint.

6. Integrum vero caput hoc, exceptis iis, quæ aliter posuimus in Logica, multum adjuvabit intellectum doctrinæ Logicæ de interpretatione, adeoque cum ea conjungendum erit, quia, quæ ibi summatim dicuntur, hic fusius & pluribus observationibus atque exemplis declarantur.

7. Cum iis, quæ differeo §. 160. sq. (* de favorabilibus & odiosis) jungenda est lectio appendicis, hujus libri secundi †) in qua dicta confirmantur contra objectiones Placii.

†) *Non mirandum, quod tantam autoritatem nostra fuerit absurdissima haec regula de favorabilibus & odiosis. Debet enim originem juri Canonico cap. 15. de R. J. in b. Odia restringi & favores convenit ampliari.*

8. Ad falsas interpretandi regulas retuli etiam in Logi-
Hh 2 cis:

cis. Beneficia Principis late exponenda esse, quod jam distin-
ctius demonstravi peculiari dissertatione. †)

†) *Alia exempla falsarum regularum adduxi in appendice ad h.*
lib. 2. p. 374. nimurum: Verba in dubio proprie esse accipien-
da &c. item verba testamentorum esse proprie accipienda, cuius
regulae utriusque falsitatem ostendi in der Ausübung der
Vernunft-Lehre cap. 3. §. 108. seq. ut & §. 121. seq. regulæ
illius, penales leges & statuta particularia esse restringenda. Con-
fer etiam hic §. 168.

9. Dicta §. 192. seq. jam sunt expungenda, tanquam hoc
non pertinentia, sed partim Theologis relinquenda, partim
reservanda libro de religione.

10. Commendandum denique hac occasione est valde
Clarissimi Lockii scriptum eruditissimum de intellectu, ut
quod multa suppeditabit, non tam ad firmandas regulas bona
interpretationis, quam ad aptam †) earum applicationem,
(* & intellectum.)

†) *Respicio potissimum ad lib. 3. qui de terminis seu verbis agie*
& eorum significatu. Notum est, quantos adversarios invene-
rit Lookius, ipsum hæreseos aut irreligionis inculpantes, notum
etiam est, quantum hic ejus liber avirus aliis eruditis, præprimis
a Dn. Clerico estimatus fuerit, & adhuc estimetur. Meum ju-
dicium quod attinet, fateor, Lookium ex Anglis primum esse,
qui ineptias Scholasticorum (principue de ideis connatis) & gril-
los Logicos agnoverit, & emendare conatus erit; deprehendi
etiam in eo libro multa egregia ad intentionem genuinam ve-
ritatum pertinentia, inter qua præcipue commendari meretur cap.
19. libri 4. de Enthusiasmo. Interim optarem, ut partim a
multis terminis novis, nimium abstractis ac metaphysicis, vel ab-
stинuisse, vel magis perspicue eos explicuisse, parium ut circa eo-
rum intellectum non ita frequentes contradictiones aut pene insu-
penables obscuritates reliquisset, ac ut in genere doctrinam suam
non ita rarissime exemplis illustrasset.

*. ii. Antequam notata ad hoc caput explicentur, utile erit, ut auditoribus proponatur brevis historia neglectæ aut male propositæ doctrinæ de interpretatione. Pertinet ea ad Logicam, et si dissentiat B. Titius. Et Aristoteles etiam scriptis libros περὶ ἐμπνέειας. Ex quibus tamen Scholastici nihil aliud proponere potuerunt, quam divisionem propositionum secundum tres quæstiones: Quæ? qualis? quanta?

*. 12. Interim cum doctrina hac maxime opus haberent Theologi & J. Cti, nescio, qui factum fuerit, ut negligentibus eam rem Theologis J. Cti hoc thema ibi vindicarent, sed ita, ut absque judicio ex errore juris expilarent & compilarent regulas plurimas parum cohaerentes & obscuras, partim etiam falsas.

*. 13. Pertinent huc Simon de Praetis de interpretatione ultimorum voluntatum, Mantica de conjecturis ultimarum voluntatum, item de tacitis & ambiguis conventionibus, aliquique, quas Placcius de J. Cto perfecto cap. 2. additione 2. p. 21. ad p. 53. recenset secundum 4. classes p. 26. formatas. Commodius tamen forte esset, si secundum tempora tradituum editorum sine consideratione istarum 4. classium recensio autorum fieret.

*. 14. Ipse Placcius tentavit quidem in citato tractatu doctrinam de interpretatione in formam artis redigere, & nova methodo regulas 344. inter se connectere easque explicare. Sed quid in hoc scripto desiderem, patebit ex appendice ad hunc librum 2.

*. 15. Meliori successu Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. de interpretatione confusionem illam in ordinem redigere voluit, quem fecutus est Pufendorffius de J. N. & G. lib. 5. c. 12. Horum conatum perficere tentavi in hoc capite. Sed postea cognoscens hanc translationem non pertinere ad Jus Naturæ, sed ad doctrinam Logicam, in 3. capite der Ausübung der Vernunft-Lehre multas ambages hic defensas removi & totam doctrinam paucissimis regulis iisque palpabilibus inclusi.

AD
LIBRUM III.
AD
CAPUT I.
DE
OFFICIO ERGA SOCIOS
IN GENERE.

I.



Ux §. 5. item 7. & 8. ex Scriptura S. de statu integro & corrupto immiscentur, omittenda sunt, tanquam aliena a disciplina Juris naturæ †)

†) Et quia ibi tantum sunt allata propter refutandam Alberti doctrinam. Vide notam lit. d. sed hæc jam diu nullos amplius defensores haberet.

2. Quæ §. 15. usque ad 32. de differentia vici, pagi & reipublicæ disputantur, magis subtilia, quam utilia sunt in disciplina Juris naturalis, ut & tacite innuitur §. 32. Valent saltem ad refutandos Peripateticos: neque ullum habent usum in cognoscendo Jure publico hujus vel illius reipubl. in specie.

3. Ista vero quæstio de minimo numero familiæ, itemque civitatis, (*§. 26.) plane otiosa est, & illi parum dissimilis: quanto grano addito ex cumulo fiat acervus. *)

*) Vel illi: quænam sit causa, cur major globus non transeat spatiū minus. Bodinus lib. 1. c. 2. ad familiam ad minimum quinque personas requirit, ad civitatem minimam tres familias. Plato Reipublicæ sue cives 5040. imposuit. Vide Patris disputat. Antibod.

4. Quæ sequuntur a §. 33. ad §. 45. & ipsa pertinent saltem ad disputationem adversus Peripateticos, & ostendendam conne-

connexionem capitum, hic libro 3. tractatorum, quare & ipsa in secundis curis erunt omittenda & immutanda.

5. Quæ §. 46. usque ad §. 56. disputantur de societate gentium, continent quidem observationes non omittendas, sed potissimum ad id valituras, ut eo melius concipiamus, inter gentes non esse statum belli; interim dissensus in hac quæstione facile componi poterit, si fatearis, divisionem societatis in communem gentium, & particulares varii generis, tam simplices, quam compositas, tam naturales, quam arbitrarias esse divisionem generis analogi, in qua societates particulares sint perfectiores, adeoque constituant analogatum nobilissimum. (*conf. §. 53.*) Et hæc ulterius illustrari possunt ex iis, quæ in Ethicis docuimus prolixius de differentia inter amorem communem & specialem. Ex quo porro declarari poterit, cur supra docuerimus, inter gentes proprie nec statum belli, nec statum pacis, sed medium quendam esse. Quatenus scilicet pax vera non solum cessationem odii, sed insuper amicitiam includit.

†) *Adde quod illam sententiam tum maxime defenderim ut connexionem cap. 9. & 10. a Pufendorffio omissorum cum precedentibus ostenderem. Sed connexio illa etiam omissa hac quæstione commode fieri potest, nam Legatorum missio & cum mortuorum pertinent ad jura & regalia principis.*

6. Præceptum §. 59. fluit ex regulis justi de nemine lèdendo, & in specie intuitu societatum reliquarum, excepta sola patria societate, ex præcepto de non violanda fide. Eadem est ratio præcepti alterius §. 66. Quod vero §. 71. refertur, axioma magis seu theorema est, quam præceptum.

*. 7. Quæ §. 65. in fine de revelatione divina immiscentur, ea jam sunt expungenda tanquam transcendentia terminos juris nature.

AD CAP.

AD CAP. II.

DE

OFFICIO INTUITU SOCIE-
TATIS CONJUGALIS.

I.

Sicutum temporis, cum caput 2. & 3. scriberem, distincte concepissem discrimina præceptorum honesti, decori, justi, & multas ambages ac difficultates evitare potuissem, & evitassem forte simul odia & calumnias multorum, irritatorum valde per doctrinas hujus capitum, quamvis id magis ex præjudicio autoritatis, quam ex justa ratione factum sit. Igitur tentabo, an possim emendare paucis ea, quæ his duobus capitibus secus, ac par erat, dicta sunt.

2. Circa dicta igitur §. 3. & 4. monendum, quod Clerus Pontificius persuaserit incautis Laicis, vel, ac si Deus speciatim circa societatem conjugalem multa specialiter præceperit, vel quod ea, quæ in sacris literis partim in historia creationis memorantur, aut in Legibus Mosaicis, de matrimonio, sint præcepta Juris Naturæ, inde & ex institutione primæva conjugii fecerunt Sacramentum.

3. Ratio hujus persuasionis iterum erat interesse Cleri, ut hoc pacto causas matrimoniales ad se trahere & sub hoc prætextu, & sub sibi, tanquam Vicariis DEI, reservata potestate dispensandi, & excommunicandi, totum populum, maxime vero Principes sibi obnoxios reddere possent.

4. Præsupposita, quæ posui a §. 5. ad §. 20. jam expungenda sunt, *) quia quæ parte prima fusius dixi, ostendunt satis, me nec socialitatem amplius pro principio perspicuo & adæquato agnoscere, nec Jus Naturæ amplius in stricto significatu pro solis præceptis justi, sed in lato pro complexu præceptorum honesti, decori ac justi accipere.

*) *Nisi quod retinenda sit observatio §. 13. seq. In §. 20. verba finalia respiciunt potissimum Albertum, qui in compendio suo non nro hoc medio probandi uititur.*

5. Quæ

5. Quæ porro a §. 21. ad §. 41. positæ sunt observationes de natura hominis, intuitu amoris personarum diversi sexus, et si jam quidem videantur esse otiosæ aut superflue, possunt tamen retineri, si modo expungas §. 40. & 41. utpote qui eo tendunt, ut ostendant necessitatem legis positivæ in causis matrimonialibus. Ergo eorum loco sequentem in sensum aliæ meditationes sunt ponendæ.

6. Quamvis vero istud libidinis œstrum naturale sit homini, non magis tamen propter ea id pro indifferenti habebit homo in statu tranquillitatis positus, ac œstrum ambitionis & avaritiae, et se & hec sint naturalia. Sed potius id pro vitiioso habebit, partim quia turbat ejus tranquillitatem animi, partim quia cum ad actiones non solum indecoras, sed subinde injustas impellit, ad lesionem videlicet juris alieni & violationem fidei conjugalis. Et cum adeo in statu satiate libidinis sentiat stimulus pœnitentie, & nitioni tranquilla relictus sensibiliter satis percipiat & stultitiam & spurcitatem imaginarii illius boni, judicabit utique, hunc impulsum libidinis æque ut alios affectus exorbitantes regulis honesti, justi & decori coercendum.

7. Etiam si vero in se solo nullam deprehendat internam libertatem resistendi febrili illi commotioni libidinis, facile tamen percipit, quod ad ejus moderationem & coercitionem æque ut ad correctionem aliorum affectuum vitiosorum, spe, metu, consilio, legibus, pena, premio, exemplo, experientia, meditatione possit pervenire. Hoc vero paœto non opus erit confugere ad legem aliquam positivam universalem, aut accusare cœcitatem rationis sibi relictæ, intuitu videlicet felicitatis hujus vitæ.

8. Rationes præcepti de ineundo matrimonio, †) quas dedi §. 48. seq. (* item §. 43. seq.) videntur nimis longe quæstæ & aliquo modo contortæ. Quare melius res procedet, si id deducas ex regulis honesti & decori, videlicet ex Partis I. c. 6. n. 46. 47. item n. 60. Breviter: ineundum est matrimonium non propter generationem sobolis simpliciter, quæ etiam generari potest in concubitu libidinoso, in honesto & in decoro, sed propter generationem sobolis honestam & decoram; uno verbo, propter vitandam scortationem, non ut com-

muniter, si non verbis, saltem in praxi explicant, propter scortationem committendam; (*Vide dicta in der Einl. zur Sittenlehre. c. 4. §. 59.*)

†) Non confundenda sunt duas questiones distinctae. 1.) An ineundum sit matrimonium? 2.) Quomodo, i. e. quo fine & quibus mediis sit ineundum? De prima questione tenendum, matrimonium nusquam absolutè esse preceptum, sed esse rem inter licitas valde honestam, aut si preceptum aliquod possit proferri rationabiliter, id tamen magis esse comparativum, quam absolutum: v. g. melius esse nubere aut uxorem ducere, quam uru. Unde jam preceptum §. 48. planè expungendum. Ortum vero debet sententia de hoc precepto false explicationi dicti: Crescite & multiplicamini, quod initio Rabbini, tum Theologi Scholastici explicuerunt, tanquam haec essent verba precepti, cum tamen sint verba benedictionis & beneficii. Conf. cap. seq. & ibi emendata n. 6. Quoad secundam questionem responde in genere, ut hic fit n. 8. Non negligenda tamen etiam sunt regulæ speciales de prudenter ineundo matrimonio, ut in quo communiter & quidem sèpius, ab eruditis etiam, enormiter peccatur, tam contra regulas honesti, quam decori. Tentavi ea de re quædam distinctius mone-re in tractatu de prudentia consultatoria c. 7. usque ad §. 47.

9. His vero suppositis, in §. 53. expungenda erit ratio ab officiis humanitatis desumpta, cum illa sola sufficiat, quæ a natura omnium præceptorum affirmativorum desumpta est. *)
Junge supra dicta Part. I. c. 6. n. 68. 69. &c. c. 5. n. 47. 48. 49. item. 54. 55.

*) Quamvis hæc duo etiam coincident: Nam præcepta humanitatis sola sunt affirmativa.

10. Quæ disseruimus §. 60. seq. de finibus conjugii, facilius intelligentur, si loco finis primarii secundum modo dicta finem conjugii dicas esse generationem sobolis honestam & decoram. Hic enim tot ambagibus non erit opus, quia extin-
Etio libidinis †) sola non est honesta nec decora, tantum abest, ut finis societatis honesta & decora esse queat.

†) Adde quod libido vago concubitu non extinguitur sed excitetur,

uti cupiditas vorandi non extinguitur sed excitatur propositione variorum ciborum.

11. Ergo & definitio societatis nuptialis in §. 81. est sup-plenda, videlicet: Societatem, quæ honeste & decore generan-dæ sobolis gratia initur, esse societatem nuptialem: itemque: non habendam esse eam societatem pro nuptiali, quæ non in-tendit generationem sobolis honestam & decoram.

12. Hæc verba etiam addenda in §. 84. cum intentione ho-neste & decore procraunda sobolis, (*, item in definitione conjugii §. 248.)

*. 13. Verbis finalibus §. 88. hæc adde. Sibi enim imputet er-rans, quod regulas prudentia in ineundo matrimonio non adhibuerit. Alia est questio: an ejusmodi errans teneatur ad perpetuo cohabitan-dum, & annon posse ademptionem promissi evitare aut etiam se in isto errore eam cognoverit, divorzium ab ea facere, si ipsi satisfer-erit dotationem ejus? De qua distinctius videndum.

14. In fine §. 89. adde limitationem: nisi sponsa se pro vir-gine gesserit: tunc enim in dolo est, & sponsus conditionem virginita-tis tacite presupposuit.

15. Quæ §. 98. usque ad §. 104. disputata sunt, ita qui-dem se habent, si jus naturæ metiaris ex solis regulis justi, & finem conjugii ex simplici generatione sobolis. At cum jus naturæ etiam comprehendat regulas honesti & decori, & finis matrimonii sit generatio sobolis honesta & decora, huic de-coro & honesto (in natura & imbecillitate sexus muliebris, quæ etiam in bestiis & plantis se exerit, fundato) repugnabit, (quod & ipsi fassi sunt §. 104.) si non fidem det viro fœmina, quod nemini, præterquam ipsi, velit corporis sui usuram concedere, aut si uxor viro non promittat continuam co-habitationem, sed velit ipso invito peregre abire aut secubare. Quæ vero in §. 98. allata sunt exempla, quod fœminæ peculia-riter sibi sobolem soleant querere, non ad regulam pertinent, cum rarissima sint, sed ad exceptionem, quales admitti in regulis honesti & decori jam monuimus Part. I. d. c. 15. n. 47. 48.

16. Eadem vero est ratio imperii maritalis, utpote quod & ipsum non quidem deduci potest ex regulis justi, sequitur tamen ex regulis decori & imbecillitate naturali sexus fœminæ. *) Unde tollenda sunt ea, quæ contra differimus §. 105. Neque lapidem lydium rationes ferunt, quas adduximus §. 110, quasi educatio sola sexus muliebris sit causa imperfectiōnum ejus, cum, ut diximus, in tota natura fœmineum sit magis imbecille. Etsi non sit negandum, vitia educationis communis augere istas imperfectiones. Interim fœmina semper est fœmina, etiam si optime sit educata. †)

*) Fœmina etiam in pacto conjugali lubens & promte se submitteat imperio mariti, quia communibus gentium moribus maritus solus onera matrimonii sustinet, & acquisitionem opum, uxor saltem aequitatem dispensat. †) Videtur mulier diversum esse animal, & membra habet dissimilia & ingenium longè infirmius. At quamvis Eva præstantissima fuerit creatura, similis Adæ, quod ad imaginem Dei attinet, hoc est ad iustitiam, sapientiam & salutem, tamen fuit mulier. Sicut sol enim est præstantior luna, ita mulier, eti pulcherrimum opus Dei, tamen non equabat gloriam & dignitatem masculi. Non mea hec verba sunt, sed B. Lutheri ad cap. 1, Genes. verba: masculum & fœminam.

17. Id tamen retinendum est, quod asseritur §. 114. mariatum citra pactum aut leges positivas non acquirere jus in bona uxoris. Maxime decorum vero est, si sit bonorum communio, modo vera sit †), inter conjuges.

†) Nam communio bonorum, quæ vulgo in multis locis Germaniae est inter conjuges, dhranie conjugio vera communio bonorum non est, quia plerumque uxores tum non gaudent potestate utendi bonis communibus, nisi alias in communionibus aliis fieri solet & debet.

18. Quæ de dissolubilitate matrimonii differo a §. 116. usque ad §. 122. iterum tolerari possunt, si in d. §. 122. irrationalib[ile] id intelligas, quod repugnat regulis justi. Sed cum ibidem fatear, perfectius esse conjugium ad dies vita initum, jam

jam secundum ductum regularum honesti & decori sicut tenendum: Conjugium ad dies vita^e esse maxime aptum ad coercendam libidinem & colendam honestam amicitiam cum persona diversi sexus, item ad promovendam decoram & honestam educationem sobolis. Conjunctionem tantum ad tempus procreat^e unius sobolis initam vix mereri nomen conjugii, cum indicium sit animi vagi, libidinosi, & ad honestum amorem parum apti, adhuc minus, si recedere velint post conceptam statim sobolem (nisi forte in casibus exceptis §. 98.) Illæ vero conjunctiones, quæ ad diuturnius tempus, et si non ad dies vita^e, factæ sunt, *) non quidem ita indecoræ censendæ erunt, ut priores species, neque tamen etiam pro perfecte honestis & decoris haberi possunt, uti conjunctiones individuæ.

*) Huc pertinet exemplum in Valesianis p. 96. seq. Comme j'étois l'autre jour aux Chartreux avec Monsieur Doublet, nous y rencontrâmes Monsieur de Varillas, qui nous conta une chose assez originale. Il nous dit: Que l'an mille deux cens quatre-vingt dix-sept dans le Comté d'Armagnac, il se fut un Mariage pour sept ans entre deux personnes bien nobles, qui se reservoient la liberté de prolonger au bout de sept années, s'ils s'accommodoient l'un de l'autre. Il nous ajouta: Que de plus il étoit porté par leur Contrat, qu'en cas, qu'ils vinssent, ce terme expiré, à se separer l'un de l'autre, ils partageroient également & moitié par moitié, les enfans mâles & femelles, qui seroient provenus de leur mariage pendant ledit espace de sept années, & que si par hazard le nombre s'en trouvoit impair, ils tireroient au sort à qui des deux le surnumeraire écherroit. Ce contrat de mariage *ad tempus* est dans la Bibliothèque du Roy, & ce fut un jour que Monsieur de Varillas étoit dans la Bibliothèque à chercher quelques Manuscrits dont il avoit besoin, qu'il luy tomba entre les mains. Comme la chose luy parut singuliere, il en fit un extrait,

pour s'en ressouvenir. Mais y ayant bien des années qu'il n'avoit vu ce papier, il ne put pas nous dire le nom du Gentil-homme, ni de la Dame, car il les avoit oubliéz.

19. Circa causas †) vero divortii, de quibus differui, *) §. 131. usque ad §. 138. nihil muto ††), neque enim ibi quicquam assertum est, quod repugnet regulis honesti & decori.

†) *De divortio sine causa ipse jam fassus sum* §. 128. *id repugnare regulis decori.* *) *De divortio bona gratia addendum,* *id non quidem repugnare regulis justi, sed tamen plerumque esse indicium animi inconscientis & parvum decori.* *De divortio tamen bona gratia vel etiam invitata altera parte, quod oritur ex nausea vel mutua, vel unius partis, & quidem incurabili, sine culpa tamen morali alterius partis, variis distinctionibus praemissis judicandum erit.* ††) *Expungenda tamen sunt verba in* §. 132. *si vir &c. usque: non admittat, item nota lit. m. ob dicta supra n. 15.* Item in §. 135. proferri solet, legendum, fieri debet.

20. Discursus de moralitate libidinis a §. 139. ad §. 172. jam plane est mutandus, partim quia tum respexi hic iterum ad solas regulas justi, tum quia neque scortationis neque concubinatus justas definitiones tradidi. Igitur in eum sensum mutatio erit facienda.

21. Libidinis simplicis *) tres sunt gradus. (1) Bestialitas cum affinibus, (2) Scortatio, (3) Stuprum.

*) *Libido enim est vel simplex, vel conjuncta cum injustitia. De posteriori agitur n. 28.*

22. Bestialitas, et si non peccet contra regulas justi, tamen evidentissime repugnat regulis honesti, etiamsi clam fiat, & decori, si fiat in praesentia aliorum hominum, aut cum alio homine solo, quia per eam non reprimitur libido, cuius in genere vitiositatem jam demonstravimus supra n. 6. Sed irritatur tam intuitu nostri, quam aliorum.

23. Scortatio est concubitus vagus cum foemina, que corpore quantum facit. Ita enim apud Scriptores tam Græ-

cos, quam Latinos, imo etiam Hebræos vox scortationis accipitur, & stupro, quod cum fœmina & vidua honeste vivente committitur, contradistinguitur. Sed Clerus Pontificius, ex hypothesi supra notata, quod matrimonium sit sacramentum, omnem concubitum extra benedictionem sacerdotalem, etiam sponsi & sponsæ, appellavit scortationem.

24. Fœminam itaque corpore quæstum facientem peccare contra regulas honesti & decori, apertum est ob easdem rationes, quas modo in turpitudine bestialitatis demonstranda posuimus. Et hoc etiam agnoverunt Romani, docentes, meretricem turpiter agere, quod sit meretrix.

25. Eadem itaque erit ratio maris, qui scortatur, tanquam correlati, & quia quæstum meretricium dando meretricis libidinem irritat. Idque etiam ethnici agnoverunt, etsi non eodem infamia gradu puniverint masculos scortatores. Dictum vero Terentii non est accipiendum tanquam seria Poëtæ sententia, sed inservit Poëta characteri personæ, quæ talia loquitur.

26. Stupri eadem est ratio, si fiat spontaneo utriusque consensu: Etsi quilibet cognoscat facile, non tantum in eo esse inhonesti & indecori gradum, uti in scortatione & bestialitate. Quodsi insuper stuprator vi utatur & dolosa persuasione, haud dubie peccat contra leges justitiae, & eo jam restulimus cap. 5. libri 1. §. 51.

27. Concubinatus tam antiquus, quam hodiernus vagæ libidini, i. e. bestialitati, scortationi, stupro est oppositus, atque ab iis, qui concubinatu utuntur, æque ad evitandum concubitum libidinosum usurpatur. Saltem in eo differt a matrimonio, quod concubina & liberi inde nati non sint justa uxor & liberi. Fit etiam saxe ad dies vitæ, nisi quod libertas divertendi & punitendi hic ubique major fuerit. Quod vero ad species scortationis fuerit relatus, iterum debetur Clero Pontificio, qui, ut diximus, omnia dicebat scortationem, cui non accesserat benedictio sacerdotalis. His exceptis reliqui scripto-

scriptores appellant matrimonium secundarium, vel simile quid. †)

†) Scripteram hæc anno 1705. Postea anno 1713. peculiariter disputacione de Concubinatu hic summatim dicta plenius exposui & plurimis documentis historicis illustravi. Nulla certe nova doctrina ibi fuit proposita, que hic non jam perspicueè appareat. Ut vel ex hac circumstantia appareat, lites mihi ob istam disputationem motas ex arc anis, illisque politicis, rationibus magis ortas fuisse, quam ex studio defendendi veritatem.

28. Restat libido cum injustitia conjuncta, i. e. adulterium: quod adeo & contra regulas honesti, decori & justi peccat, dum fidem datam violat, aut alterius jus ex fide data acquisitum lœdit.

29. Jam præcepto de personis in §. 174. addatur: per quas personas generatio sobolis honeste & decore obtineri possit, propter dicta superius.

30. Quæstio §. 187. jam ita decidenda, quod societas Eunuchi cum fœmina, quam in præcedentibus ostendimus non esse posse conjugium, non sit toleranda in republica, quia est inhonesta & indecora, utpote libidinem irritans, non reprimens. *)

*) Cum tamen hæc ratio etiam repugnet concubinatu eunuchorum, intuitu matrimonii addenda est alia ratio fortior & magis specialis, abusus nempe publicus benedictionis divinae in matrimonii justis adhiberi solita, per verba: Crescite & multiplicamini. Nec illud omittendum, libidinem in eunuchis non habere causas physicas, ut in aliis hominibus, sed ferè solum horum moribus lascivis aliquaque vitiis, non difficulter, si modo velint, reprimendis, adscribendam esse.

31. De conjugio spadonum, sterilium, senum vetularum, de quibus §. 188. seq. sic tenendum, illa quidem tolerari, quatenus spes dicitur superesse generandæ sobolis, interim & in his gradus formandos esse. De spadonibus & sterilibus naturaliter nihil certi affirmari potest, quoniam infinita prostant exempla.

exempla, quod spadones & steriles liberos procreaverint, & ediderint, adeoque in his faciliores esse debeamus.

32. Quod conjugia senum & veterarum attinet, vel senes & veteræ conjunguntur, vel senes & juvenculæ aut juvenes & veteræ.

33. Priore casu facilius tolerantur conjugia, quoniam non separantur conjuges, si maritus & uxor attingant senes. Autem.

34. Posteriore vero casu, quicquid leges civiles permittant, consociatio habenda pro inhonesto & indecora &c. durius tamen loquuntur, qui eas cum bestialitatis criminis comparant.

35. De Polygamia virili §. 200. seq. jam statuo, eam non quidem pro inhonesto plane & indecora habendam esse, (quod illustrant potissimum exempla polygamiæ Judaicæ, & omnium fere populorum orientalium) melius tamen esse & honestius, & magis decorum, si more populorum occidentalium unus jungatur uni fœminæ. conf. §. 213.

36. At polygamiam muliebrem, et si per tradita §. 206. seq. non repugnet regulis justitiae, esse tamen parum decoram & honestam, conf. §. 211. & de exemplis hujus polygamiæ licere adhuc dubitare homini genuinis historiæ veræ fundamentis àmbuto. (* Conf. supra dicta n. 15.)

37. De adulterio §. 214. seq. sententiam jam dixi n. 27. Lenocinium vero contra tradita §. 218. seq. jam omnino prævito & inhonesto & indecoro habendum erit, quia id irritat libidinem personæ cum alio concubentis, & quamcunque passionem animi irrationalem lenocinium committentis. Nemo enim frustra leno est.

38. Incestum §. 220. seq. quod concernit, certum est, incestum linea recta tam in consanguinitate, quam affinitate repugnare iisdem regulis honesti & decori, quas supra n. 6. opposuimus libidini in genere. †) Sed quod incestum in linea collaterali attinet, uti valde cavendum est in omnibus societatis bus, ne personæ, quæ quotidie conversantur a tenera juven-

tute secum invicem, spe matrimonii liciti irritentur ad concubitus libidinosos; ita tamen, quoisque hæc prohibitio sit extendenda, determinabit lex civilis, quia pro diversitate morum casus consuetudinis ejusmodi quotidianæ variant. At quod fratres & sorores attinet, merito habetur hæc conjunctio pro incestu juris Gentium, quia apud omnes populos fratres & sorores simul educantur.

†) Addenda disputatio de fundamentis causarum matrimonialium aliter jaciendis, ubi latius examinavi hypothesin de pudore, ex qua alias plurimi moralitatem incestus in linea potissimum ascendentem deducere volunt.

39. Hinc quamvis satis ostensum sit in institutionibus, nullum incestum repugnare legibus justitiae, nunc tamen intuitu regularum decori & honesti non accusanda erit cum §. 246. imperfectio rationis humanæ.

*. 40. Denique & de eo cogitandum ulterius, annon in plurimis questionibus hujus capituli discrepantia mea doctrine à doctrinis communiter receptis forte conciliari possit, si presupponas, societatem conjugalem non esse societatem absolutam sed respectivam & preparatoriam societatis paternæ, adeoque etiam in questionibus de moralitate conjugiorum simul ad fines societatis paternæ esse respiciendum.

AD CAP. III.

DE

LEGIBUS POSITIVIS CIRCA OFFICIA CONJUGUM.

I.

QUAMVIS igitur capite secundo ita emendato caput tertium, tanquam ab Institutionibus Juris Naturæ alienum, plane hic sequestrari possit, paucis tamen indicabo, quænam circa assertiones ibi positas jam sit sententia mea.

2. Ubi

2. Ubi quidem ex §. 1. notandum, quod gentiles eo ipso, dum in causis matrimonialibus ad jus aliquod non scriptum & connatum provocaverunt, indicaverint, eas ex ratione naturali deduci posse, etsi in eo sint notandi, quod non exacte fundamenta posuerint secernendi regulas justi a regulis decori & honesti,

3. Quare in §. 2. præjudicium est, a nemine hactenus debite probatum, quod DEUS conjugalem societatem munivit legibus positivis universalibus.*)

*) *Ortum fuit hoc præjudicium ex doctrina Canonistarum: Matrimonium esse Sacmentum.*

4. Unde cum non entis nulla sint accidentia, frustra jam queritur in §. 3. de rationibus illarum legum positivarum. Atque adeo etiam ruit doctrina repetita §. 4. de requisitis legum illarum positivarum, & in §. 5. de publicatione illarum legum, partim per verba expressa, partim per factum institutionis. Nam & Jurisprudentia ignorat illud axioma, quod omnis divina institutio simul sit lex divina. †)

†) Pertinet & hoc axioma, prout communiter explicatur, ad arca-
na politica Canonistarum, qui haec regula precipue in doctrina
de Sacramentis utuntur, & sibi solis postea tanquam ministris
Dei interpretationem ejusmodi institutionum, & potestatem judi-
ciariam circa controversias eis pertinentes, tanquam in materia
Sacramentorum, vindicare solent. In sensu legis abusivo quidem
potest tolerari. Sed ipse inde effecerunt legem pœnalem & per-
petuò dunturam, cum tamen constet, leges divinas expressas non
omnes esse perpetuas, ut v. g. legem de prohibito usu sanguinis.
Debebat etiam ipsa vox institutionis & ejus varia acceptio do-
cere eos, qui præjudicio reliquiarum papisticarum sunt immersi,
quod iste canon variis modis fallat. Deus enim quid instituere
potest, etiam per modum privilegii vel benedictionis: ut: cre-
scite & multiplicamini, aliud per modum conditionis, aliud per
modum doctrine e. g. si vultis orare, ita orabitis. Sic nec
benedictio, nec conditio, nec doctrina habent vim legis propriè
dilecta aut absolute nullam. Unde cæcus palpare potest, quam im-
pertinet.

pertinenter Doctores, qui doctrinam, quod matrimonium sit ab omnibus hominibus ineundum, per modum præcepti universalis ex isto canone probare volunt. Nam & omnis magistratus est à Deo institutus. Sed nemo tamen, neque ex ipsis Canonistis, aut horum discipulis apud nos, propterea docere ausus est, quasi omnis homo debeat magistratum gerere, aut quasi is, qui in magistratum eligeretur, peccaret contra præceptum divinum universale, si modestè onus hoc deprecaretur. Cur igitur nec hic urgent Institutionem divinam habere vim legis? Videlicet, quia matrimonium secundum ipatos est Sacramentum, magistratus Sacramentum non est. Adde quæ de isto pseudo axiomate jam notavi in Cautel. circa præcognit. jurispr. Eccles. cap. 5. §. 13. p. 43. 44.

5. Neque ea assertio probatur in §. 6. per disputationem Salvatoris. Quia quæ disputavit Christus contra Pharisæos, respiciunt saltem expositionem legis Mosaicæ, nec ultra statum controversiæ illius disputationis sunt extendenda. (de quo mox n. 16. seq.)

6. Ut vero per dicta jam expungendus est §. 7. ita nondum satis est probatum in §. 8. quod verba: Crescite & multiplicamini, sit repetitum præceptum juris naturalis de ineundo matrimonio, & quod illa verba ultra benedictionem diversum sensum habeant a verbis statim subsequentibus: dominamini super terram. *)

*) Quamvis & hic communis error ferè ad nostra usque tempora docucrit, dominium esse à Deo per modum præcepti introductum. Confer notata in d. Cautelis cap. 4. cap. 10.

7. Quæ †) vero §. 10. usque ad §. 19. contra eos disputantur, qui illa verba secundum glossas Rabbinicas falso expoununt, in his nihil muto. *) Ut nec in iis, quæ §. 20. dixi de fine conjugii primario.

†) In §. 9. expungendum est, quod per illa verba Deus repellerit præceptum juris naturalis propter notata cap. præced. n. 8.

*) Nisi quod jam addam breviori via Rabbinorum ineptias recisci posse, si negetur præceptum absolutum & universale de ineundo conjugio.

8. At

8. At §. 21. usque ad §. 27. ideo delendi sunt, quia ignoramus accuratam scientiam conditionis hominum in statu integro, nec Scriptura de ea quæstione, quæ hic tractatur, distinet nos informavit. Ergo pertinet hæc quæstio ad inutiliter curiosas.

9. Circa §. 28. repetendum ex notis ad caput præcedens, tolerantiam finis secundarii sic esse explicandam, ut non intelligatur libidinis adimpletio, sed repressio. Hoc vero pacto finis ille non tam ad ea, quæ tolerantur, pertinet, sed ad præcepta juris naturalis in sacris literis repetita.

10. A §. 29. ad §. 34. nihil occurrit, quod peculiarem admonitionem mereatur.

11. At præceptum de imperio mariti, de quo agitur §. 35. seq. non est lex positiva, sed regula decori juris naturalis, per notas ad caput præcedens.

12. Neque adeo magis illis verbis pœna proprie dicta, i. e. arbitraria continetur, ac in verbis coniunctis de dolore partus, de agri tribulis & sentibus, item de sudore laborantis.

13. Quæstio §. 41. de conditione foeminæ in statu integratatis jam quidem sequestranda est ob rationes nempe præcedentis n. 8. sed tamen in illis, quæ disputantur §. 41. usque ad §. 46. n. nil muto. †)

†) *Adde tamen dictus §. 42. ea, quæ jam supra adduxi in dissert. proœm. ad Inst. Jurispr. Div. §. 44. p. 43.*

14. Sed paragraphus 48. totus est expungendus, quia falso supponit, imperium mariti esse pœnam proprie dictam. Quin potius natura & scriptura dictant, imperium maritale minus rigidum esse debere, ac imperium paternum & herile.

15. Quæ porro disputavia §. 49. ad §. 71. circa intricatam quæstionem de prohibitione divertitorum &c. ea jam in plerisque mutanda erunt circiter in hunc sensum:

16. Initio ex Seldeni Uxore Hebraica & disputatione nostra de Crimine Bigamiæ præsupponenda est dissensio scholæ Sammarianæ & Hillelianæ ad intelligendum statum controversiæ, quæ a Pharisæis movebatur Salvatori.

17. Hoc vero probe intellecto, patebit, quod Christus, dum ad institutionem primævam provocat, non id velit, quasi in institutione primæva fuerit publicata lex positiva de indissolubilitate conjugii, sed saltem, quod velit deducere doctrinam Hillelianam, quasi Moses præceperit divortia, ad absurdum, ostendendo, quod DEUS secundum regulas decori naturalis, instituerit conjugium perpetuum, tanquam maxime decens perfectionem status integri, & quod adeo Moses ob imperfectionem status corrupti indulserit saltem divortia.

18. Porro uti ab intentione Christi in illa disputatione plane alienum fuit, tradere leges proprie dictas pœnales de divortiis, ac ita legislatorem agere; ita sententia scholæ Sammæanæ, *) quam in ea disputatione Christus approbavit, monstrat, quod quemadmodum illa non solum divortium permittebat in adulterio stricte sic dicto, sed in quacunque causa graviori ac rationabili; ita quoque Christus in voce ῥοενεῖα incluserit omnem ejusmodi causam graviorem & rationabilem.

*) Scribit equidem D. Buddeus *Theol. Mor. Part. 2. cap. 3. Sect. 6. §. 10.* Christum nec Sammæane scholæ, quamvis mentem legis Mosaicæ rectè accipientis, nec Hilleiane scholæ doctrinas de divortio approbasse, sed causam divortii arctius constrinxisse ad solum adulterium. Imo Sammæanam scholam adversus Servatorem defendisse, divortium non esse ex rebus permisisse, sed à Moysi præcepis. Sed doleo valde, virum celeberrimum hic tam insinuiter & quasi data opera à vero aberuisse. Istam enim sententiam de præcepto divortio nequaquam Sammæanorum, sed Hilleianorum fuisse & contextus ostendit, & que ad ejus intellectum de dissensu scholæ Sammæane & Hilleiane eruditissimè allata sunt à Seldeno, de uxore Hebraica lib. 3. cap. 22. p. 344. seq. & à Lightfooto Hor. Hebr. in Matth. p. 275. 278. Facile vero conjecturis assequi licet, cur Vir clariss. in re post diligentiam horum duumvirorum hodiè tam plana, nova formet dubia. Ne videlicet reliquæ Papatus ob ignorantiam seculi dū post reformationem incaute retentæ, & propagatae in Academias, etiam Protistan-

stantium, pristinam autoritatem, & affectatum titulum orthodoxie amittant. Unde non solum secundum antiquam lyram illud Canonistarum axioma modo rejectum, institutionem divinam habere vim legis repetit & fundamenti loco ponit d. lib. 2. c. 2. §. 49. p. 572. seq. sed & in causis matrimonialibus questiones de divorcio, polygamia, prohibitione graduum exinde deducit d. c. 3. Sect. 6. §. 9. p. 755. 757. in fine, §. 10. p. 760. seq. & §. 11. p. 763. seq. non sentiens, se tantum non ubique committere meras petitiones principii, & ad palliandam politicam papizantem sine ratione insufficientiam rationis sibi relictae accusare. Confer jam dicta in Cautel. circa præcogn. Jurispr. Eccles. cap. 5. §. 13. potissimum in fine p. 43. seq.

19. Quare nec mirandum, quod Episcopi Christiani tempore Constantini Magni etiam sensum sententia Christi expuerint non de adulterio stricte dicto, sed de aliis etiam gravioribus causis, ut diximus §. 63.

20. Quod autem Augustinus jam suo tempore secundum §. 53. hanc questionem pro latebrosisima agnoverit, id non obscuritati Scripturæ adscribendum est, sed perverso modo Patrum disputandi oratorio, quem jam illo tempore regnasse, observavimus in Observationibus Selectis Halensibus. †)

†) Tom. II. Obs. 8. §. 38. seq. Adde etiam, quod Patres illorum temporum scientia doctrine moralis fuerint destituti, quod exemplis variis probat Cl. Barbeiracius in Præfat. ad Gallicam versionem Pufendorffii.

21. Porro cum in Notis ad cap. præcedens jam ex recta ratione demonstraverimus turpitudinem moralem libidinis i. e. bestialitatis, scortationis ac stupri, jam non opus erit secundum tradita §. 71. seq. eam deducere ex lege aliqua divina positiva.

22. Quin & ex iisdem regulis naturalis honesti & decori jam facile ostendi potest turpitudine concubitus cum uxore menstruata, de quo agitur §. 75.

23. Dixi etiam in notis ad cap. præcedens n. 34. & 35. quæ jam sit mea sententia de polygamia tam virili, quam muliebri.

Ergo

Ergo jam expungenda est ex hoc capite tota disputatio de polygamia a §. 76. ad §. 93.

24. Etenim fundamentum totius hujus disputationis ponitur §. 76. in assertione, ac si institutio conjugii sit lex propria dicta pœnalis, quam jam hic n. 4. rejecimus.

25. Ergo jam non opus erit, ut simus solliciti de quæstione, quænam circumstantiae in institutione conjugii sint essentiales, quænam accidentales, de qua agitur. §. 77. -- 87.

26. Corruit etiam argumentatio primaria *) §. 88. per dicta modon. 17. uti ea, quæ addita sunt §. 89. & 90. jam infirmantur per tradita modon. 18. †)

*) *A provocatione Christi ad institutionem primævam.* †) Scilicet Christus hic novum legislatorem non egit, & vox προφεια explicans rem turpitudinis in lege Mosaica, non in specie adulterium, sed quamcunque causam gravem denotat. Quod si dicas, prohibitionem polygamie ex disputatione Christi deduci non propter verbum: προφεια, sed propter verbum μοιχαται, eadem tamen manet responso aut instantia, etiam ad illud verbum, quæ est adducta n. seq. 27.

27. Quibus adde & hoc argumentum, si Christus per προφεια illo loco intellexisset adulterium stricte dictum, & sub hoc etiam comprehendisset polygamia statum, sequeretur, Patres polygamos Veteris Testamenti fuisse adulteros, quod tamen absurdum est; & quod DEUS non potuisset dispensare circa hanc Patrum polygamiam, (cum DEUS non dispenset in præceptis Juris Naturæ stricte dictis) quod tamen factum fuisse asserimus ibidem §. 93.

28. Jam vero, cum polygamiam virilem supra cap. præcedenti n. 34. dixerimus non absolute indecoram & inhonestam esse, sed saltem minus decoram, facilius intelligitur ratio, cur Deus in Lege Mosaica permiserit polygamiam, *) ut adeo non amplius opus sit refugiri quærere in dispensatione proprie dicta legis cuiusdam præcedentis, qualem proprie non adfuisse, jam sapienter monuimus.

*) *Nam hic Deus ut benignus legislator in non paucis se accommodavit ad imbecillitates populi sui.*

29. Ne-

29. Neque adeo circa hanc doctrinam valde timemus murmura partis dissentientis, cum jam ante nos JCTi excellentes, videlicet B. Struvius & illustris Ordinarius noster [†] docuerint, polygamiam virilem esse saltem contra leges positivas particulares.

[†]) *Struvius in Syntagma juris civilis. Samuel Strykius in notis ad Institutiones, & post hunc Joachimus Hoppius, pariter in notis ad institut.*

30. Jam etiam sunt expungendi §. 94. 95. 96. (* de concepitu adulterii) quia ibi supponitur, ac si Christus in disputacione cum Pharisaeis per moysiav intellecterit adulterium non stricte dictum, & novum conceptum adulterii, juri naturali incognitum, tradere voluerit, quod nunc saepius refutatum est,

31. Quod vero questionem §. 96. attinet, an maritus cum soluta concubens committat adulterium? ea simplicissime, se posita revelatione divina, ex Jure Naturæ ita definiri poterit. Ubi polygamia virilis est recepta, ibi talis concubitus adulterium non est: Ubi non est recepta, *) ibi est adulterium, quia tum maritus fidem conjugalem violat. Et jam adeo optime cum hac assertione connectitur doctrina §. 97.

*) *Excipe Romanos. Ratio exceptionis est in fine §. 97. Fortè tamen ibi pro voce Judæorum substituenda erunt hec voces: populorum orientalium.*

32. Postquam autem in notis ad cap. præced. n. 36. lenocinii turpitudinem ex ipso Jure Naturæ ostendimus, non amplius opus habemus lege aliqua positiva divina. Unde expungendus erit §. 98.

33. Denique cum n. penult. cap. præced. ostenderim, quod incestus parentum repugnet regulis decori & honesti, & cur jure plerarumque gentium fratrum & sororum conjugia fuerint pro incestu habita, ac in Observationibus Halensibus Observatione peculiari de natura & divisione Legum ostensum fuerit §. 51. 52. 53. 54. quod prohibiciones in Levitico recensitæ, quatenus præcepta Juris Naturæ non repe-

tunt, pertineant non ad legem aliquam universalem, sed saltem ad Mosaicam forensem, ac simul ad objectionem §. 105. hujus capituli responsum fuerit; †) hinc jam liberati sumus ab intricata & tardiosa disputatione de sensu & intellectu illarum prohibitionum, de quo prolixè hic egimus a §. 99. ad §. 224. Quid enim nostra interest, accurate novisse sensum legis Mosaicæ forensis?

†) *Objectio est, quod Deus vocet ista vitia abominationes, & dicat, gentes se contaminasse omnibus istis vitiis, ac propterea esse exterminandas.* Resp. 1.) abominationes in Scriptura dicuntur etiam vicia, quæ pœnam humanam non habent. 2.) Gentes non commiserunt unum vel alterum, sed omnia; adeoque eorum exterminatio conjuncta habet, (ut causas secundas) rationes physico-morales & politicas. 3.) Extirpari à populo suo non denotat semper pœnam capitalem.

34. Itaque cum ad cap. præced. n. 2. & 3. jam notaverim, doctrinam contrariam communem originem debere interesse Cleri Pontificii, in eo potissimum sito, ut potestatem Regum & Principum imminueret, & causas matrimoniales ad se traheret, quod tum temporis nondum habebam ita distincte cognitum, nunc conclusiones de potestate Principum circa causas matrimoniales, quæ continentur §. 225. seqq. in multis sunt emendandæ.

35. Nam cum nulla detur lex divina positiva universalis, Princeps etiam in legum latione ad eam non potest respicere, sed sufficit, si tantum præ oculis habeat præcepta juris naturæ & gentium, observata tamen differentia *) inter præcepta honesti, justi & decori, uti jam supra Parte I. c. 5. n. 47. 48. item n. 53. 54. 55. id distincte declaravi.

*) *Quod nempe præcepta justi nullas admittant exceptiones, præcepta honesti & decori admittant.*

36. Maneant autem dicta §. 226. †) In §. 227. frustra disputatur de casu non dabili. Neque enim timendum, ut Princeps ullus Christianus maritos imperio uxorum subiectus aut uxores saltem exempturus sit a subjectione maritorum.

Inte-

Interim etiam in confessio est, Reginam Christianam non pecare contra legem divinam, si maritum ex subditis eligat, atque imperium in ipsum maritum etiam in rebus domesticis exerceat.

†) *Principia que dicta sunt de admissione solorum celibum ad certam quedam officia.*

37. Neque nunc amplius causa est, ut judicium nostrum suspendamus in quæstione: an Princeps ultra malitiosam desertionem & adulterium alias divortii causas admittere jure posfit? Potest enim omnino, *) uti jure potuit Constantinus Magnus. Conf. dicta superius n. 17. 18. 19.

*) *Et hoc jam ante plurimos annos defendit Job. Strauchius Specim. Instit. Jur. publ. lib. i. tit. 35. p. 137. seq.*

38. *Quæstio de lupanaribus* §. 228. pluribus distinctionibus expedienda est, quam præsens institutum fert. Summatim Lupanaria non sunt toleranda, nisi ad evitandum majus malum in regionibus calidioribus. Qui metus majoris mali cum regulariter non adsit in regionibus septentrionalibus, vix est, ut prudenter faciat magistratus lupanaria tolerans. Nec est, quod dicas electionem minoris mali saltem procedere in naturalibus, non in moralibus: neque enim facienda esse mala, ut inde eveniat bonum. Ut enim alterius loci est, †) disquirere de falsa & explicatione & applicatione dicti hujus ultimi in se verissimi: ita tamen ex iis, quæ supra de differente natura honesti, justi, decori diximus, patet, mala injusta non admittere electionem, at vero indecori & dishonesti non eandem esse rationem, præprimis intuitu non ejus, qui perpetrat indecora aut dishonesta, sed ejus, qui cum non possit impedire utrumque, tolerat sattem minus, *) quæ omnia communiter miscentur in communi applicatione regulæ, non esse facienda mala, ut inde eveniat bonum.

†) *Locus est Rom. III. v. 7. 8. Etenim si veritas Dei per meum mendacium redundavit in gloriam ipsius, cur ego amplius ut peccator condemnor? At non potius dicitur (sicut de nobis male loquuntur, & sicut quidam ajunt nos dicere) faciamus mala,*

*ut veniant bona, quorum damnatio justa est. Ita Beza veritatem. Damnatio ergo, cuius hic mentio fit, non refertur ad dictum illud simpliciter, sed ad calumnias contra Apostolum, & eos, qui diebus illud ei falso imputabant. *) Ita Deus toleravit divortia & polygamiam, quae tamen cum regulis honesti & deceri non conveniunt.*

39. Quod pœnas libidinum attinet, in arbitrio Principis est, secundum regulas circumstantiarum variarum prudenter determinare, utrum, & qua pœna actus mere libidinosos & non coniunctos cum injustitia (de his enim jam loquimur †) punire velit. Neque enim eum obligat lex Mosaica, ut pœnas ibi dictatas sequatur.

*) Non quod excludam actus cum injustitia ut adulterium. Et enim & hos princeps pro libitu punire potest, de qua vide infra in cap. de pœnis §. 137. 138. & quæ in emendationibus ad illum §. 138. respondi.

40. Id etiam putamus referendum esse inter reliquias Papismi, quod hodie tam frequentes sint inquisitiones in libidines clandestinas. Tales enim inquisitiones repugnant regulis prudentiæ & finibus pœnarum, & occasionem dant illicitæ vindictæ & calumniæ exercenda.

41. Quod polygamiam attinet, uti causas timendi non habemus, ut ulla gens vel ullus Princeps svasurus sit, aut legibus introducturus polygamiam muliebrem: ita etiam conditione gentium septentrionalium securos nos esse jubet, ut nullas leges timere debeamus, intendentes introducere polygamiam virilem. Neque svalendum esse polygamiam ipsi Principi, etiamsi nulla moralitas obstaret, vel historia an fabula Papirii docet, & eventus turbulenti, qui plerumque fecerunt polygamiam virilem Principum.

42. Interim, si tamen Princeps sit polygamus, nondum ullus probavit justis rationibus, hanc polygamiam tantum esse crimen, ut gehennam mereatur, & quod legi universalis divinae repugnet. Quod tamen Clerus Pontificius istam doctrinam inculcaverit laicis, causa est, quod bigamia violet clericale

ricale sacramentum matrimonii, inde etiam in constitutione criminali dicitur esse gravius crimen, quam adulterium.

43. Neque indignum observatu est, quod ubique fere clerus pontificius fulminaverit & Acheronta moverit contra bigamiam Principum, contra obmutuerit, vel etiam benedictionem dederit Principibus aperte concubinariis aut scortatoribus. Ratio jam in promtu est. Ex hac vero observatione fluit altera: Ubi eadem praxis cleri, ibi idem papismus.

44. Inceatum quod attinet, uti res pessimi exempli foret, & haud dubie naturali honesto & decoro repugnaret, si Princeps incesta conjugia parentum & fratum admitteret; ita, quamvis dixerim, reliquas incestus species nullo jure naturæ notari, postulat tamen ratio prudentiæ, ut Princeps iis, qui & has religione vetari credunt, nec eas permittat, nec in iis dispensem, Nam & superstitionum habenda ratio. (* Conf. supra dicta ad cap. præcedens n. 38.)

45. Interim si velit Princeps in illis dispensatione uti, ne irritet murmura dissentientium, καὶ ἀνθρώποις uti poterit distinctione inter contrahendum conjugium & contractum; facile enim invenient personæ, dispensationem desiderantes, hominem, cui venalis sit benedictio.

46. Ortam vero illam distinctionem, de qua §. 231. esse a Clero Pontificio, vel ex iis patet, quod, qui ea usi sunt, Theologi Morales Pontificii, primario illa utantur ratione, quod Sacramentum conjugii non posset rescindi, quamvis istud Papisticum dogma nondum plane exoleuisse apud nos innuant dicta §. ult.

AD CAP. IV.

DE

OFFICIIS PARENTUM ET LIBERORUM,

L 1 3

1. Ante

ANTE omnia hic notandum, officium parentum non incipere ab eorum jure, sed jus derivandum esse ex officio. Unde quamvis quilibet suo juri renunciare possit, parentes tamen renunciare nequeunt, quia officio renunciare non possunt.

2. Hoc vero supposito, præceptum juris naturalis de officio educationis, de quo agitur §. 31. fluit partim ex regulis honesti, quia plus quam bestialis ignavia, superbiz & avaritiæ indicium esset, si parentes vellent ab hoc officio abstinere; partim ex regulis decori, quia haud dubie factum eminenter inhumanum, quod & bestiæ ignorant, foret, liberos dene-gatione alimentorum & educationis morti exponere, vel cupiditatibus suis relinquere.

3. Etsi vero obligatio hæc parentum in statu libertatis saltem interna sit, non externa, i. e. si eidem non satisfaciant parentes, aliis in statu libertatis propterea non competit justa belli causa; ostendimus tamen Parte I. obligationem internam nobiliorem esse externa; in statu vero imperii vel civili recte obligantur parentes etiam ex regulis justitiz, (* per leges civiles pœnales) quia interest reipubl. ne alii concives onerentur onere educandi liberos alienos.

4. Porro, quia educatio sine imperio esse nequit, per tradita §. 44. eadem præcepta naturæ, quæ parentibus impo-nunt officium educandi, iis simul jus dant ad medium impe-randi, sine quo officio suo satisfacere nequeunt,

5. Cum vero omni imperio correspondeat obligatio obsequii, vel, si mavis, obedientiæ (propter dicta Parte I. c. 7. n. 5.) sequitur, liberos ad obedientiam teneri etiam invitatos, etiam in statu extra civitates.

6. Quoties itaque §. 46. seqq. occurrit vox obsequii, erit expungenda, & loco ejus terminus obedientiæ adhibendus.

7. Ad §. 59. notandum, pro evidentissimis argumentis in statu etiam naturali haberi, si in sensu aliorum incurvant actio-

actiones filii virtuosæ, & quod aptus fit ad separatam œconomiam. conf. §. 78. †)

†) Controversia tamen hac apud Germanos raro occurret. Cum parentes apud nos non facile detinere soleant liberos, si sint apti ad separatam œconomiam, & si se ipsos sustentare possint ac velint. Alia ratio erat patrie potestatis apud Romanos antiquos.

8. Quæ de naturali imperio mariti in uxorem notavimus jam ad cap. 2. ostendunt etiam, jam mutandam esse decisionem quæstionis i. §. 66. & 67. & patri etiam ex mera ratione naturali assignandas esse partes principales imperii in liberos, nec amplius opus esse, ut recurramus ad leges positivas divinas.

9. Quæstioni secundæ §. 69. seq. in secundis curis addenda erit illa: An potestas parentum se extendat etiam ad jus vitæ & necis? Quam omnino affirmandam censemus, quia in statu libertatis superius imperium, quod jus vitæ & necis exerceat in delinquentes liberos adultos, non adest. Intelligimus vero per jus vitæ & necis,* non potestatem interficiendi liberos pro lubitu, sed, ut omnes intelligunt, jus puniendi, etiam, si opus sit, capitaliter.

* Hac observatione neglectâ invehuntur multi sine justa causa in leges Romuli, patribus jus vita & necis in liberos concedentis.

AD CAP. V.

DE

OFFICIIS DOMINORUM ET SERVORUM.

1.

QUæ §. 1. & 2. de statu integritatis & lapsus memorantur, jam expungenda sunt, tanquam ad jurisprudentiam naturalem non pertinentia.

2. Contra ea, quæ §. 10. & 11. de jure vitæ & necis observavimus, jam dubium moveri potest ex iis, quæ ad cap.

112.

præcedens de J. V. & N. parentibus competente diximus. Non enim poterit melioris conditionis esse servus, quam filius. Neque obstat, quod filii sint in potestate patris sui citra suum consensum; at hic sermo sit nobis de servitute, cui consensus originem dedit; responderemus enim, sufficere, quod natura societatis herilis in genere in statu libertatis inferat potestatem puniendi (* *indefinitam, ergo etiam*) capitaliter, quia superior potestas non adest.

3. Itaque si nihil specialiter conventum, in statu naturali herilis potestas jus vitæ & necis includit. Si vero servus mercenarius exemerit pacto jus vitæ & necis, tum esset quidem exceptio a regula; verum & ipsa parum profutura servo, quia nullum est dubium, & tunc dominum adversus servum, gravioriter lædentem ipsam familiam, tanquam hostem, etiam per extrema eam læsionem vindicare posse per dicta §. 11.

4. Semper tamen hic repetendum, jus vitæ & necis non denotare potestatem pro lubitu & absque præcedente gravi delicto interficiendi servum, sed jus puniendi.

5. Porro uti primaria præcepta hanc societatem dirigentia §. 12. veniunt ex præcepto de non frangenda fide, & adeo ex regulis justi, ita quæ adduntur §. 15. pertinent ad regulas decori.

6. Ita & in §. 16. servus quidem perpetuus non poterit domino duriori vendi ex regulis decori; quod si tamen id fecerit, non peccat contra regulas justi dominus, nisi expresse servus iste perpetuus pacto sibi ea de re caverit.

7. Neque enim convenit cum natura servitutis, quod dicitur, servum perpetuum etiam ultro sibi hunc dominum adscivisse, quia potius fecit adactus ex summa indigentia.

8. Neque adeo certum dominum elegit, qui post mortem domini, quæ omni momento accidere potest, incidit in manus cujusque heredis.

9. Imo moribus gentium servi perpetui non consentiunt saltem in imperium, sed fiunt plenaria instrumenta domini, quæcunque per ipsos acquirendi, etsi in arbitrio domini sit, & m o r e s

mores variant, quorum bonorum administratio & fruitio ser-
vis hisce relinquatur.

10. Ut i^taque his positis differentiæ illæ, quas alias inter
servos mercenarios perpetuos & servos bello captos feceram
§. 23 cadunt, ita de his ad §. 22. notandum, quod salvis istis
observationibus tamen remaneat dominis jus vitæ & necis.
conf. modo n. 4.

11. Cadit etiam conclusio §. 28. quod liberi mancipiorum
bello captorum non durius debeant tractari, quam perpetui
mercenarii, non uti parentes ipsorum bello capti. Cum inter
perpetuum mercenarium & servum bello captum, secundum
jam dicta, parum intersit.

12. Cadit etiam assertio §. 29. Servitus enim & que natura-
lis est, i. e. juri naturæ conveniens, sive oriatur ex indigentia,
sive ex captivitate: Utrobius enim pactum firmat servitutem,
etsi in captiuis sit plerumque pactum tacitum.

13. Expungenda etiam est nota d. ad illum §. 29 Quia
hostis hostem, salvis regulis justitiae, semper interficere potest:
non vero semper salvis regulis decori. At hæ obligant saltem
in statu libertatis intrinsece.

14. Denique verum quidem est, quod servitus non repu-
gnet Christianismo, sed præterquamquod hæc doctrina non
pertineat ad jus naturæ, vel etiam reservanda sit libro de reli-
gione; ostendimus in lectionibus publicis ad Institutiones Ju-
stiniani fusius, falsum esse, quod communiter docetur, inter
Christianos exolevisse servitutem.

15. Nota ultima hujus capititis etiam est expungenda. Di-
stinctio enim inter veros Christianos & falsos non est apta ad
Jurisprudentiam, quia non potest applicari; neque enim factis
externis accurate secerni possunt veri & falsi Christiani, quia
hypocritæ etiam facta externa habent verorum Christiano-
rum. Non esse vero & non apparere in jure & moralibus ha-
betur pro synonymo, certe eundem usum habet.

AD CAP. VI.

DE

OFFICIIS VIVENTIUM
IN CIVITATE.

1.

QUæ in hoc capite iterum immiscentur de statu integro & corrupto, ut §. 1. & 2. item §. 13. & 14. item §. 25. expungenda sunt, tanquam aliena.

2. Quæ vero hic disputantur contra Peripateticos usque ad §. 26. uti recte se habent, quatenus refellitur communis Peripateticorum doctrina, ac si homo a naturali desiderio directo impellatur ad civitatem, †) quatenus hoc naturale desiderium metui externo contradistinguitur, ita tamen assertio ipsa de metu illo, quod sit causa primaria, quæ ortum civitatibus dederit, uti & pariter dicta a §. 26. usque ad §. 31. de modo & forma, quomodo civitates sint exstructæ per duplex pactum & unum decretum; jam quidem absque monitis ulterioribus non sunt dimittenda.

†) Agnovit hoc etiam jam suo tempore Conringius de civili prudencia cap. 6. p. 81. 82.

3. Verum quidem est, si innocentes deliberato animo propter metum hominum injustorum ita subito & uno quasi continuo actu primam civitatem constituisserint, aut, si vel hodie etiam secundum illa praesupposita civitas constituenda sit, nos modum constituendi vix nobis aliter imaginari posse, & ad §. 29. observatio addenda, quod inter eos, qui adhuc in naturali libertate sunt & non ex pacto prævio se ad id obstrinxerunt, (conf. 64.) pluralitas votorum dissentientes non posset strin gere; sed tamen adhuc dubium est, an constitutio civitatis ita subito & uno quasi continuo actu facta fuerit, dubium etiam est, an in nocentum prima fuerit civitas, an improborum & injustorum, etiam abstrahendo a revelatione Scripturarum Sacrarum.

4. Qua-

4. Quare in secundis curis multa erunt annotanda, hic prætermissa. Occasionem vero ad eas meditationes suppeditabunt ea, quæ jam notavimus in Disputatione de morum cum jure scripto contentionè §. 17. usque ad §. 21. Quibus adde sequentia :

5. Imperium civile necessarium est in bello plurimum hominum. Ergo & bellum sine republica belligerantium non potest intelligi. At bellum improborum offensivum antiquius est bello defensivo, ex ipsa hypothesi hic supposita, quia bellum offensivum excitavit demum innocentes, ut & ipsi de bello defensivo cogitarent. Unde & apud multas gentes mansit latrocinium gentis in gentem, tanquam in memoriam primævæ originis civitatis. *)

*) Vid Tom. 7. obseru. select. Halens. obs. 6. & 7.

6. Si vero sive violentia, sive artificiali astu parata fuit prima respublica monarchica; cadunt ista duo pacta & decreta, ut illa non opus est sibi imaginari in constitutione Reipublicæ Nimrodianæ & Romanæ &c.

7. Porro ut adversus dicta §. 32. non opponatur, non posse Doctores & Professores populis regulas præscribere, secundum quas debeant examinari formæ rerum publicarum, sed cum voluntas populi in formanda respublica regulam faciat, omnes respublicas regulares esse; declarandum erit, divisionem hanc non esse ex cerebro Philosophorum natam, sed ex ipsa natura rei, quia in rebus publicis irregularibus & morbidis item mixtis non potest ita unio voluntatis imperantium, quæ anima reipublicæ est, concipi, ut in regularibus. Adde infra §. 156. seq. & notata ad Monzamb. cap. de forma reip. Germanicæ.

8. Digressio a §. 41. ad §. 57. an bonus civis possit rempublicam, sub qua vivit, inter morbias referre, maximum usum habet in jure publico & questionibus de forma ac statu reipubl. Germanicæ.

9. Quæstio, an Deus sit causa Majestatis immediata, de qua prolixe egi §. 66, usque ad §. 88. est mere theoretica, M m 2 nullum

ullum, ut simul §. 84. seq. ostendi, usum habens in definitis præceptis juris naturæ. Quod vero tam mordicus defendi soleat, in causa est, quod ex Theologis Protestantibus aliqui imitentur clerum pontificium, qui crimen interpretatur, si quis contra sententias ejus absurdissimas saltem hisce-re audeat. †)

†) Fui quidem ante aliquot annos in ea sententia, doctrinam, quod Deus sit causa immediata Majestatis originem debere Clero Pontificio, qui postquam prius suam potestatem immediate à Deo derivaverat, postea, ut se insinuaret principibus, aut saltem ne eos irritaret, quasi illi essent deterioris conditionis, incepit etiam docere, principes potestatem suam non habere à populo sed à Deo. Sed cum historiam controversie in Gallia & Germania paulo attentius consideravisse, deprehendi, invito Clero Laicis potissimum eam sententiam primam debere originem, postquam videlicet Clerus Pontificius & in Germania & in Gallia docuerat, potestatem Regum à Deo non immediate iis conferri sed mediante Papa, adeoque Majestatem immediate oriri à Papa. Vide Grammond. initio historia hujus controversie in Gallia orta lib. 1. p. 61. versic. de summi Pontificis in Reges potestate &c. & quæ de Germania retuli in cogit. mensbris anni 88. mense Decembri p. 770. seq. ex Goldasti Reichs-Satzungen. Igitur tum temporis immedietas divina non opponebatur, ut hodie electioni populi tanquam cause mediate, sed confirmationi Papali. Et ante paucos annos Schatenius de vita Caroli M. Lib. 2. cap. 3. p. 214. seq. ex mente Pontificiorum docuit, regiam potestatem non sic immediatè à Deo esse uti potestatem ecclesiasticam sacerdotii.

10. Ceterum tamen in tota hac disquisitione nihil muto, *) nisi quod jam magis placeat sententia Grotii recitata §. 71. præ sententia Pufendorffii, quam tum defendi §. 73. Res dependet ex hypothesi de origine civitatum, de qua supra n. 3. seq. Si enim civitates originem sumserunt ab hominibus improbis, DEUS non potest antecedenter præcepisse hominibus, ut societas civilis institueretur, sed sufficiet, si postea institutam probaverit. Grotii hypothesis etiam convenit historiæ sacrae.

Adden-

*.) Addenda tamen ad finem §. 69. sunt sequentia: Et quamvis postea decretum factum sit, legem fundamentalem Gallie fore: Regum Gallie esse immediatam à Deo potestatem, (Grammond, lib. 2. §. 95.) id tamen invito quasi Rege factum notat ipse Grammondus ibid. Ut taceam controversiam ibi non fuisse, de potestate principium in genere, sed in specie de potestate Regum Gallie per ea quæ traduntur lib. 1. p. 63. 64. 72.

*. 11. Quæ hic de distinctione regnum in patrimonialia & in sua fructuaria differui §. 133. seq. jam mutanda sunt secundum ea, quæ in notis ad Huberum de jure civitatis lib. 1. Sect. 3. cap. 2. §. 19. lit. k. p. 69. 70. docui.

*. 12. Commentarii vero loco ad ea quæ §. 143. de divisione in regalia majora & minoria dixi, esse poterunt notata ad Huberum d. l. 1. Sect. 3. cap. 6. §. 3. lit. x. p. 91. seq.

13. Dicta §. 149. seq. de jure Principis circa sacra, jam sequestranda sunt, remittenda ad librum peculiarem de religione, secundum dicta ad libri secundi caput de officiis erga DEUM. †)

†) Interim doctrina mea de jure principis circa sacra videri potest in Canticis circa præcognita Jurispr. Eccles. cap. 17. & in notis ad Huberum de jure civitatis lib. 1. Sect. 5. per integr.

14. Paragraphus vero 153. jam plane expungendus, quia tum quidem adhuc tenebris istis immersus eram, ac si tolerantia dissidentium in religione, etiam falsæ religionis, crimen esset, & Princeps teneretur reformare. Sed jam quidem in multis tractatibus ostensum est, tolerantiam hanc non esse crimen.

AD CAP. VII.

DE

OFFICIO CIRCA POENAS.

I.

IN secundis curis circa reliqua etiam regalia, maximè circa regale legum ferenda rum, multa erunt adnotanda, quæ prætervidit ipse Dñ. a Pufendorff. Sparsim de iis tractavi
Mm 3 inol-

in collegio peculiari de prudentia legislatoria, item in differentiatione de contentione morum cum jure scripto, in dissertatione de jure consuetudinis & observantiaz.

2. Pariter & in expositione de regali magistratum constituentium multas observationes suppeditabit dissertatione de judicio seu censura morum. Unde facile dijudicari etiam poterit s̄pē confuse mota & sub specie pietatis inepte decisa quæstio, de officio magistratus circa scandala.

3. Supradocui Parte I. c. 5. n. 37. seqq. pœnas divinas esse impropie dictas, & omnes pœnas propriæ dictas esse humanae. Hæc illustrantur ex dictis §. II. inde enim est, quod homines regulariter non considerantes necessariam connexionem causarum & effectuum moralium, a DEO in natura creaturarum sapientissime ordinatarum ex ignorantia pœnas divinas casibus fortuitis soleant accensere.

4. Dum §. 15. inter fines pœnarum etiam refertur expiatio, ea ad solas pœnas divinas futuri seculi pertinet, quatenus a Theologis explicari solent, quia alias justitia pœnæ æternæ non potest commode exponi, quod etiam docui §. 34. 35. 36. 39. Unde per dicta s̄p̄ius tota hæc doctrina de expiatione est relinquenda Theologis, & a juris naturalis disciplina sequastranda. *)

*) Unde etiam in §. 45. expungenda sunt ea, qua de expiatione ibi disuntur, & in §. 53. vox solum.

5. Quod autem pœnam divinam hujus seculi attinet ob transgressionem legum naturalium, ea etiam suo modo pertinet ad Jctos, unde limitari debent dicta §. 22. †) si modo iterum notes, eas non esse proprie dictas *) seu plane arbitrarias, sed naturales & necessarias, secundum dictum traditorum supra P. I. c. 5. n. 37. seqq. Conf. Observat. Hallens. de natura & divisione legum §. 38. 39. 40.

†) Scilicet quod doctrina de pœna divina pertineat ad Dnn. Theologos. *) Notanda etiam est ad §. 31. nova homonymia pœna sumta pro coercione verbali.

Unde dicere solemus: eis
nen mit Worten straffen. Hac impropria est, quia in se
non

non est malum passionis, sed bonum, & habetur saltē pro malo à stultis. Unde David: Der Gerechte straffe mich freundlich / das wird mir wohl thun &c.

*. 6. Ex dictis §. 35. seq. nota quod ipsi Theologi necessario debeat concedere, in doctrina de pœnis à justitia divina ad humanam non ubique licere argumentari.

*. 7. Expungendi etiam nunc sunt §. 57. 58. loquentes de statu integratitatis, qua tractatio buc non pertinet.

*. 8. In §. 61. qua refertur vulgaris locutio, haud dubie originem debet doctrinæ scholasticorum, quod Deus DEBEAT pœnas delinquentibus, cum tamen Deus neminem extrate habeat, cui obligetur.

9. In §. 64. mentio quidem facta fuit juris aggratiandi, ejusque fundamenta breviter ostensa sunt §. 115. 116. Sed in secundis curis tamen res deducenda erit fusius. Primario ostendendum erit: an jus aggratiandi vel pœnam debitam remittendi possit consistere cum justitiæ regulis? Præpriimis cum Theologi in sua disciplina & fundamentis œconomia divinæ intuitu status futuræ vitæ contra Socinianos quæstionem negare soleant. Ostendendum ergo erit, non esse committendam metabasin in aliud genus disciplinæ. Pariter enim uti Physicus recte docet, esse impossibile naturaliter, ut virgo pariat, etiamsi revelatio doceat de partu supernaturaliter concepto contrarium, ita & Jurisprudentia naturalis recte docet, secundum dictamen rectæ rationis hominem salva justitia humana pœnas remittere posse; et si Theologia doceat, revelationem ostendere, DEUM salva justitia divina id facere non posse.

*. 10. In §. 64. etiam expungenda sunt voces obligationis perfectæ & imperfectæ. In §. 65. & 66. ita emenda. Rex obligatus est toti civitati, jus vero habet à singulis postulandi assidentiam vel executionem pœnarum.

11. Quæ porro disputavi prolixæ a §. 67. ad §. 100. adversus Pufendorffium, an delinquens obligatus sit ad pœnam patiendam, nunc plane immutanda sunt propter cogitationes posteriores & meliores.

12. Scilicethic non est quæstio de obligatione in statu libertatis,

tatis, in quo non est pœna, sed in statu imperii. Regulæ honesti non obligant homines, ut, si deliquerint, debeant doloribus naturæ humanæ adversis se emendare. Regulæ decori etiam id non præcipiunt. Quod regulas justitiae attinet, violo quidem eas, quando alterum lædo. Sed postquam læsi, nullius jus violo, si sponte mihi non accersam pœnam, sed potius omnia tentem, ut pœnam effugere possim.

13. Neque etiam natura imperii peculiariter hanc obligationem postulat; Sufficit enim, quod imperans per pactum jus acceperit, delinquentem cogendi, & quod hic non possit conqueri, sibi injustitiam fieri, si Princeps hoc jus exerceat. Adde, quod pœna debeat invitis inferri, h. e. ad quæ intrinseco stimulo non debent ferri: alias enim non esset pœna &c.

14. Jam vero facile responderi potest ad dubia allata. Nam quod affertur §. 67. jus & obligationem esse correlata, id quidem regulariter procedit. At quemadmodum jam Parte I. cap. 5. §. 18. & 19. ostendimus, dari obligationem internam, †) cui jus non respondeat: ita datur etiam irregulare jus, cui non respondeat obligatio, ut illud est, *) quod supra lib. 2. c. 2. §. 161. & 162. diximus competere in casu periculi præsentis ad vitam servandam, si tabula in naufragio duos servare nequeat, ubi uterque habet jus alterum depellendi, sine correspondente obligatione. Eadem est ratio, si claudus vel alias me fugientem impeditat.

†) Nempe in officiis humanitatis. *) Accurate loquendo hoc jus non est jus in sensu ajente, sed in negante, b. e. non est injustum.

15. Deinde etsi juri puniendi corresponeat in ipso delinquente obligatio ad pœnam patiendam, pati vero involvat non resistere punienti, eumque non impedire in pœna; non tamen propterea sequitur, quod exinde volumus deducere §. 69. seq. adhibita distinctione inter actus pœnam antecedentes. †) Sed potius distingvendum est alio modo.

†) Stultus est, qui actus antecedentes non agit (si nimis evadere non posset,) sponte, sed se vi trahi patitur ad supplicium, non tamen agit injuste.

16. Resi-

16. Resistentia est vel conjuncta cum nova violatione regularum iustitiae vel decori, vel non est conjuncta. Prioris resistentiae exempla sunt v. g. fibi prospicere de evasione poenae per homicidium, stuprum, adulterium, furtum &c. Posterioris fugere, carceres effringere, non confiteri crimen &c.

17. Prioribus modis non licet resistere punienti, & hactenus obligatus est delinquens ex regulis justi & decori. Ad posteriores non magis obligatur, quam ut ipsum se prodat.

18. Patet vero assertio ex eo, quod leges civiles communiter augere soleant poenam, si quis priori modo resistat; non augeant, si quis posteriori modo sanguinem suum redimere tentaverit.

19. Neque ullæ leges civiles *) puniunt eum, qui sponte noluit multam solvere, de quo agitur §. 77. Sed saltem executioni mandant, neque eum puniunt, qui sponte nolit scalas ascendere ad patibulum, aut collum porrigere gladio, aut venenum haurire. (vid. §. 70.) Et notum est exemplum miseri illius Galli, qui, cum a viatore juberetur se de turri præcipitare, & sapienter impetu facto sapienter eundem reprimeret, cum venisset ad præcipitum. Cum enim vix irasceretur ei, respondit, se mirari crudelitatem victoris, cum tamen ipse, si in ejus loco esset, non ægre latus esset, etiam si vel centies similia faceret.

*) Sententia communis videtur ortum debere clero Romano, ut videlicet persuaderent inquisitis, ipsis incumbere confessionem facinorum occultorum, forte ad meliorem promotionem processus inquisitorii, etiam ubi judices essent ignorantes, nec artem callerent, inquisitos nocentes in mendaciis deprehendere. Sed certè intuitu nocentum non credo, intentionem cleri unquam effectum habuisse, nisi forte apud sola quedam melancholica cleri mancipia. Unde si hodiendum metus tortura non semper exprimit inquisitis nocentibus confessionem, doctrina illa communis multò minus id faciet.

20. Porro ad §. 80. & sq. reponendum: et si non absolute repugnet naturæ humanæ, ut & multam sponte solvat & scalas ascendaat; sufficere tamen, quod plerique homines aversionem sentiant

sentiant talia faciendi, & quod respublica nullam utilitatem inde sentiat, si omnes vellet ad ea obligare.

21. Ulterius : argumentum Pufendorffii, †) ad quod §. 82. seq. respondetur, cum sit illustrans, non directe probans, meminisse debes, in eo adeo non quærendum esse rigorem probationis directæ.

†) *Quod scilicet delinquentes coercantur vinculis & satellitibus custodiuntur.*

22. Denique poterit etiam jus puniendi in Principe naturam veri juris retinere, si correlatam habeat obligationem concivium adjuvandi Principem in exercitio hujus juris. Neque obstat instantia data §. 95. si magna populi multitudo peccet. Sufficiet enim & hic, si modo non resistant cum nova regularum justitiae vel decori violatione. Quodsi aufugiant, purgata jam est respublica malis civibus. Neque enim jus naturæ præcise pœnam capitalem dicit, sed & relegatio pœna est.

23. Expungendum etiam est præceptum §. 1:9. quia lex divina delicta quædam capitaliter puniens non est universalis, sed particularis, respiciens saltem populum Judaicum & reges Israeliticos.

24. Hinc exemplum Davidis §. 133. non potest afferre momentum ad obligationem aliorum Principum inde deducendam.

25. Dictum Genes. IX. 6. de effusione sanguinis non est lex politica, (1) quia genius lingvæ Hebraicæ non præcise insert præceptum, sed saltem habet significationem futuri temporis; (2) quia continet saltem ratiocinationem, confirmantem præceptum de non comedendo sanguine, (3) quia tum nondum erat respublica. Et sic non ita pridem respondit Facultas nostra, Principem ceteris paribus posse etiam in pœna homicidii jus aggratiandi exercere. *)

*) *Quod responsum Facultatis defendi peculiariter disputatione de jure aggratiandi homicidiam dolosum.*

26. Ad verba vero Levitici, quæ maxime urgentur §. 138. jam responsum est in Observatione de natura & divisione legis §. 51. 52. 53. 54. Addendum lit. h. ad §. ult.

AD

AD CAP. VIII.
DE
OFFICIO FOEDERATORUM.

I.

Hic nihil monendum occurrit, t) nisi quod totum hoc caput possit referri ad tractatum de officio Principis in republica. Inter regalia enim Majestatis etiam est jus foederum.

†) *Nisi ut §. 12. addas etiam Tom. VII. Observ. sel. Halens. obs. 6. & 7. & circa dicta in §. 13. distinguas. utrum in foedere saltem in genere simplex humanitas promissa fuerit, an specialior quedam ejus determinatio accesserit. Si prius factum, nec tum licebit ejus denegationem bello vindicare.*

AD CAP. IX.

DE
OFFICIO ERGA LEGATOS.

I.

Eadem est ratio hujus capituli. *) Nam & jus mittendi legatos regale est, unde non opus est supponere cum §. 1. societatem aliquam gentium, de qua mentem meam jam aperui ad cap. 1. hujus libri.

*) *Adde huic capiti Justini Presbeute discursum de jure legationum Statuum Imperii & observ. 17. Tomi 2. Observ. Halens. item disput. Lipsiens. de jure asyli legatorum adibus competente, & notat. ad Huberum de jure civitatis lib. 3. Sect. 4. c. 2. p. 716. seq.*

*. 2. *Dicta §. 19. docebunt praeceptum de legato non rejiciendo pertinere ad regulas decori non ad regulas justi, adeoque harum intuitu non esse magni usus, nam ea, qua de extrema necessitate ibi dicuntur, sunt difficillima probationis.*

*. 3. *Idem notandum circa §. 22. Nam rejectio legati sub praetextu quod veniat ab hoste armato etiam non est injusta, sed inhumana.*

Nn 2

4. In

4. In §. 40. ubi mentio fit tertii Principis, subintellige, scilicet & hic sit hostis.

5. Sed meditatio §. 48. de Principe legatum ab hoste venientem sic admittente, ut libertatem laedendi ipsum innocentem sibi reservet, est otiosa, quia casus non est moraliter dabilis.

6. Quæ vero docentur §. 53. seqq. de condonandis delictis levioribus manifestis legato, intelligenda sunt de regulis decori; Nam secundum rigorem regularum iustitiaz hanc inviolabilitatem legatus non magis postulare potest, quam ipsius Princeps. Unde facile hac sententia tertia §. 56. conciliari poterit cum prima §. 53. & 54. Adde dicta §. 71. & 72.

AD CAP. X. DE OFFICIIS ERGA MORTUOS.

Dicitis §. 2. addendum, quod Clerus Pontificius doctrinam hanc de officiis erga mortuos valde promoverit ob interest suum, videlicet ob doctrinam de cultu sanctorum, & purgatorio.

*. 2. In verbis finalibus §. 7. respicio ad legem Mosaiam, quod terra inquinetur per suspensos, quod corpora nostra sint templo Spiritus Sancti.

*. 3. Circa §. 10. nota, Jacobum Gothofredum in notis ad l. 6. Cod. Theod. de sepulcr. viol. (Tom. 3. p. 148. seq.) de quastione, quando combustio cadaverum deserit, multa eruditè observasse.

4. Ad objectionem §. 12. etiam sic respondere poteris quod DEUS in illis verbis non jus quoddam sepulturæ concesserit Adamo, sed potius dixerit, quid jam ex necessitate naturæ futurum sit, quod scilicet debeat redigi in pulverem. At redigitur etiam in pulverem, qui a bestiis devoratur, qui crematur &c.

5. Ad §. 22. & seq. adde Dissertationem nostram de jure Principis circa solennia sepulturæ.

AD C. XI. DE APPLICATIONE LEGUM DIVINARUM.

Caput hoc jam plane est expungendum, quia saltem ap. positum est ad salvandam methodum libri primi, quæ jam plane alia nunc in emendatis his Institutionibus est adhibita.

F I N I S.



INDEX CAPITUM ET PRIMUM PRIMI LIBRI.

I. De natura hominis moralis.	p. 25.
II. De passionibus animi.	p. 70.
III. De variis hominum moribus & bonis.	p. 99.
IV. De normis actionum humanarum, consilio & imperio.	p. 119
V. De jure Naturæ & Gentium.	p. 143
VI. De principio Juris Naturæ & Gentium, & prin- cipiis Justi, Decori, Honesti.	p. 164
VII. De normæ applicatione.	p. 186

SECUNDI LIBRI.

I. De officiis hominis erga Deum.	p. 202
II. De officio hominis circa se ipsum.	p. 208
III. De custodienda æqualitate.	p. 213
IV. De vitanda superbia.	p. 214
V. De non lædendis aliis &c.	p. 215
VI. De promiscuis officiis humanitatis.	p. 217

VII. De officio paciscentium.	p. 219
VIII. De officio hominis circa sermonem.	p. 223
IX. De officio jurantium.	p. 227
X. De officio circa res & earum dominium.	p. 232
XI. De officio circa rerum pretia.	p. 240
XII. De interpretatione.	p. 242

LIBRI TERTII.

I. De officio erga Socios in genere.	p. 246
II. De officio intuitu societatis Conjugalis.	p. 248
III. De Legibus positivis circa officia conjugum.	p. 258
IV. De officiis Parentum & Liberorum.	p. 269
V. De officiis Dominorum & Servorum.	p. 271
VI. De officiis viventium in Civitate.	p. 274
VII. De officio circa Pœnas.	p. 277
VIII. De officio Fœderatorum.	p. 283
IX. De officio erga Legatos.	ibid.
X. De officiis erga Mortuos.	p. 284
XI. De applicatione Legum Divinarum.	ibid,



